IO. MARCI FANNIANI

PATRICII MEDIOLANENSIS,

DE BELLO ARRIANO,

LIBRI SEX.



MEDIOLANI,

Apud Hær. quon. Pacifici Pontij, & Io. Baptiſtam Bicaleum Socios Impreſſores Archiep. MDCIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Ego Io. Oliua Societatis IESV Sacerdos, hocce nobilis Patricij Io. Marci Fanniani Poema de Bello Arriano perlegi; & cùm nihil contra fidem orthodoxam, nec aduersus bonos mores contineat, sed pium, & eruditum à viro pio, ac erudito sit elaboratum, maximè dignum iudico, quod ad laudem Sanctiss. Præsulis Ambrosij, & communem studiosorum vtilitatem typis excudatur.

Io. Oliua.

Die xxix. Decembris. MDCIII.

Visa suprascripta Reuer. Patris Theologi attestatione conceditur, vt imprimatur.

F. Augustinus Galaminius Inquisitor Mediolani.

Al. Bossius Can. Ord. Theol. pro Illustriss. Card. Archiep.

V. Saccus pro Excellentiss. Senatu.

PERILLVSTRIBVS VIRIS LX.

CONCILIO GENERALI CIVITATIS MEDIOLANEN.

IO. MARCVS FANNIANVS,

S. D. P.

QVO'D me plerique ex ordine vestro sæpe hortati sunt, Viri clarissimi, vt Diui Ambrosij res gestas, dum in Insubrum finibus bellum ab Arrianis suscitatum viguit, ex annalibus antiquissimis collectas (cùm supra millesimum & trecentesimum annum repetantur) carmine describerem; & si rei grauitas, & difficultas viribus meis impar videbatur, propositum tamen opus minimè recusandum putaui. Quamuis intelligerem me non facilè tanti Præsulis memoriam, & gloriam versibus complecti posse. Quid

Autòr ad Lectorem.

NE mireris, Lector optime, scripsisse me in hac de Bello Arriano historia Diuum Ambrosium non solùm sanctitate insignem, verùm etiam militaris scientiæ peritum, & egregium ducem extitisse, eundemq́; ne Arriana hæresis Mediolanensium, ac finitimorum animos pessima labe inficeret (quando illam auertendi hic modus, & hæc ratio securior esse videbatur) conductis militibus sæpe cum hostibus conflixisse. Hoc enim & antiqui Autores, & nonnulli recentiores, inter quos est R. P. Gaspar Bugatus, probatus, & diligens scriptor, clarissimè testati sunt. Quod te scire volui, vt & libentius legas; & nostros in præclaris tanti Præsulis conatibus poeticè describendis diuturnos labores minimè asperneris. Vale.

R. PRIMI COMITIS AD IO. MARCVM FANNIANVM.

EDE tuos tandem populo sex MARCE libellos,
Quid cessas? Cineri gloria sera venit.
Per te crescet honos Diuo, dum nota legenti
Fient Ambrosij carmine gesta pio.

EIVSDEM.

AMBROSIVM celebras fœcundo carmine Fanni:
Quid mirum? Ambrosiæ fluxit in ora liquor.
Ille ferum sacris domuit virtutibus hostem;
Ille etiam infudit carmina digna tibi.

IOANNIS MARII MATII.

NON frustra prisci quondam cecinere poetæ,
Nec Phaethontei est fabula vana cygni.
Quem sera narrant solantem ætate senectam
Ausonij circum læta fluenta Padi
Mulcere vmbrosas dulci modulamine ripas,
Et cœlum gratis lætificare modis.
Tu totam Musis tribuisti Marce iuuentam;
Excellens inde est gloria parta tibi.

Et

Et nunc emeritæ cùm possis otia vitæ
Concessu Aonidum poscere iusta tuæ,
Laudis Apollineæ multo tu impensius vrges
Campos, & citharæ non datur vlla quies.
Assiduè resonant doctis concentibus ædes,
Dum pulsant dulcem plectra sonora lyram.
Inuidiam condis factura poemata priscis
Vatibus, Insubris gloria magna soli.
Quoq; magis grauibus florescunt tempora canis,
Hoc fluit altiloquo dulcius ore melos.
Ambrosij Ambrosias sublimi carmine laudes,
Partaq; felici Marte trophæa canis:
Fœda profanatis cùm perfidus Arrius olim
Aris inferret tela, facesq; pijs.
Macte animo, macte incœptis felicibus, vrge,
Extremamq; operi iammodò pone manum.
Imperti canos redolentia carmina sensus:
Ciuibus in lucem progrediatur opus.
Commenda æternæ viuens tua nomina famæ;
Diuina sic te Spiritus auctet ope.

CAESARIS MILLEFANTII I. C.
& Canonici Scalensis carmen.

MOntibus Aonijs quemquam si credere dignum est
Parnasso à Musis, aut Helicone virum
Nutritum, aut lotum, qualis celebratur Homerus,
Qualis & Ascreus (fabula nota) fuit,
Horum dissimilem quis te doctissime Fanni
Dicat, & ipsorum separet à numero?

Quem

Quem dum Calliope lauit, chorus astitit omnis
Pieridum, Charites, pulcher Apollo, Venus.
Hoc, quæ docta facis, testantur carmina Marce,
Hoc morum integritas, actaq; vita probat.
Es gratus Musis; donant quæcunq; precaris:
Est quoque Musarum grata caterua tibi.

EIVSDEM MILLEFANTII AD LIBRVM Io. Marci Fanniani de bello Arriano

Δεκάστιχον.

D*OCTE liber produc (latuerunt secula multa)*
Arri bella, quibus corruit ira, furor.
Nec timeas Momos: non est qud carpere possint
Fannia quæ resonat carmine blanda Chelys.
Non est qui inuideat: non est qui rodere tentet
Quem superare nequit, nec videt esse parem.
Consurgent ciues, & Patrum maximus ordo,
Atque Sacerdotes, Ambrosiusq; pater.
Tutatur castos Vates mens conscia veri,
Cana Fides, Pietas, Relligioq; sacra.

EIVSDEM AD LECTOREM.

D*Vm certat Salamin, Colophon, Rhodos, Argos, Athenæ,*
Mæonidemq; suum callida quæque facit;
Mantua lætatur docti virtute Maronis.
Venusium Flacci carmina culta legit.
Sulmo Nasonem laudat, Verona Catullum,
Et versus Elegos Roma Tibulle tuos.
Vmbria se iactat libris tumefacta Properti,

Atque

Atque forum Iuli carmine Galle tuo.
Nec minus aeternam Lucani grata poesis
Corduba te reddit ciuica bella canens,
Quàm Volscus Satyras scribens Iuuenalis Aquinum,
Atque volaterras Persius arte pari.
Et nos Insubres nomen tollamus ad astra
Fanni, quem vatum candidus ordo colit,
Et simus memores diuino munere factum,
Quòd talem tulerit patria nostra virum;
Carmine qui Ambrosij referens certamina dura
Stemmata multorum, nobilitatq; domos.
Dignior est alijs hic tanto laude perenni,
Quanto sunt reliquis quae grauiora canit.
Quae ne falsa putes (fingant quòd multa poëtae)
Perlege quae altisonus continet iste Liber.

PRIMI LIBRI
ARGVMENTVM.

Mortuo Valentiniano Imperatore, Arriani Iustinæ pessimæ Imperatricis ope, & studio multa Mediolani impia facinora perpetrarunt: à quibus cùm in Basilica Portiana Diuus quoq; Ambrosius diuturna obsidione premeretur Probus prætorio præfectus cõmodã nactus occasionem cũ Iustina colloquendi, Diui vitã, & mores breui oratione cõplexus, eum illi quãquã ab omni humanitate alienæ commendauit. Hostes verò, quos suscepti belli non mediocriter tædebat, vt tam longæ obsidionis moram tollerent, Diuum, & illos, qui cum eo permanserant, vndiq; clausos flãmis ingentibus cinxerunt, è quibus ipse cœlesti protectus auxilio penitus extinctis incolumis euasit. Qua tanti miraculi nouitate perculsi Arriani cunctos obsidione liberarunt. Tunc Diuus in vrbem reuersus concionem ad ciues Mediolanenses habuit; totumq; se ad tuendam religionem, ad pristinam pietatem restituendam, ad perditosq; populi mores corrigendos studiosissimè conuertit.

Cæsaris Millefantij I.C. & Canonici Scalensis
ALIVD ARGVMENTVM.

Obsidet Ambrosium ferro, mox ignibus hostis
Arrius; ast illos subitò, qui cuncta creauit
Restinguit: Redit incolumis tum Diuus in vrbem.

IO. MARCI FANNIANI
DE BELLO ARRIANO.
LIBER PRIMVS.

AMbrosij pia facta canam, populiq; potentis
Insubrum celebres Diuo sub principe pugnas;
Tempore, quo primùm Pharijs aduectus ab oris
Arrius antiquam deuenit perfidus vrbem,
Pacatæquē ferus turbauit pectora gentis.
Nūc mihi, dum cupidā mentem nouus incitat ardor,
Quis faueat? Latiosq; duces, memorandaq; narret
Prælia, barbaricas acies, Arriq; furorem?
O' vtinam æthereo demissum vertice numen
Fortia commoueat resonanti pectora plectro.
Tu, precor, aspira votis sanctissime Præsul
Ambrosi (auspicijs siquidem fortissime ductor

Ille tuis cecidit validis oppressus ab armis)
Adsis, & facilem nostris da versibus auram.
Iam Cæsar varias Romano milite gentes
Strauerat, & gelida victor remearat ab Arcto,
Sauromatas rursus bellum moturus in hosts;
Cùm subito extinctus violenti turbine fati
Concidit, & totum Mars terruit horridus orbem.
At Iustina ferox, immanis, & impia sceptrum
Arripiens bellum sacris indixerat aris.
Namq; dolos animo versans infligere pœnas
Christicolis studuit, rectosq; inuertere cultus
Hæreseos fautrix, quam perfidus Arrius olim
Vexerat. Hæc multas pestis corruperat vrbes,
Egregia ante alias, quæ celso nomen Olympo
Extulit, Insubrum populi latissima sedes,
Ante arces Latias olim duce condita Gallo,
Et Mediolani seruat memorabile nomen.
Nobilis arce Iouis, sed multo clarior Aede
Virginea, frugumq; ferax, studiosaq; belli,

Hic

Hic clausus longa vitam obsidione trahebat
Ambrosius: Nunquam satiata resederat ira
Iustinæ. Insubrum Mars implacabilis aruis
Omnia miscebat ferro: diuisa per vrbes
Agmina, perq; domos bella intestina gerebant.
Infanda genitor natorum cæde penates
Foedabat: Nati siccis properata parentum
Funera spectabant oculis: malè tuta marito
Longè aberat coniux. Tristis vexabat Erinnys,
Falsaq; relligio populos. Pia numina diuum
Auertere nefas haud tantum passa furorem.
Fortè graues animi mulceret vt anxia curas,
Consedit natas inter Iustina nitentes,
Augusti medio thalami, quem picta decoro
Gentis Iuleæ circundabat ordine proles.
Alta refulgebant varijs laquearia gemmis.
Vnà aderat Cęsar, primo quem flore iuuentę
Eximium lecti mores, & principe digna
Ornabal grauitas, rediuiuasq; patris imago.

Side-

Sidereos sic ille oculos, sic ora ferebat,
Conspicuus, summaq; augens virtute decorem.
Regia iam coetu procerum migrante vacabant
Atria; substiterat tantum Probus. Ille cohortis
Augustę præfectus erat. Prudentia clarum hunc
Fecerat, & fide solers constantia mentis.
Hic vario affectam mentem sermone leuabat
Reginę, & quemnam, dixit, fortuna latenti
Ambrosio finem dabit? aut quę numina seruant
Inuisum nostras conantem euertere leges?
Tum Probus; Hesperij moderatrix maxima regni,
Non facilè est tanti rationem reddere casus.
Miranda hæc res est, nulliq; audita priorum;
Hostibus hunc hominem obsessum se posse tueri
Mille tot, & tantis vltrò se offerre periclis,
Nec lędi, nec posse mori, nec ad extera regna
Attonitum ingenti fremituq;, & turbine belli
Arripuisse fugam, aut cursum tenuisse per vndas,
Arcani quędam vis est incognita fati

Quę

Quę iubet Insubri Ambrosium consistere terra.
Conticuit Probus. Ast iterum Regina silentem
Compellat, rursusq; virum veluti inscia tentat,
Forsitan hic dicens Magicas exercuit artes,
Et didicit cœlo errantem deducere Lunam.
Ille mei siquidem tenuit vi carminis aures
Coniugis; ille meos semper despexit honores.
Quod genus hoc hominis? Quæuè hūc tā barbara tellus
Protulit, & nostris immisit finibus hostem?
Tunc ille eximio diui commotus amore,
Postquam dicendi est concessa optata facultas,
Propensusq; animo Cæsar, cupideq; sorores
Hortantur; si pace tua Regina referre
Vera licet, cordiq; graues est soluere curas;
Dum tempus patitur, dum multis cognita narro;
Fortè tuam mutet potior sententia mentem;
Ambrosium eripiasq; malis, seruesq; merendo;
Et facias rem te Iustina, & coniuge dignam.
Quandoquidem in summo virtutes Principe fulgent,

Non

Non aliter medio quàm lucida sidera cœlo.
Quas inter summum retinet clementia culmen;
Excipit hæc placidè populos; hæc allicit hostes
Obsequio, & miti subiectas adijcit vrbes
Imperio. Hac coniux mæstum dum deserit orbem,
Ille tuus cœli meruit sibi vertice sedem.
Namq; dedit facilis veniam, pœnasq; remisit
Supplicibus, si quos à recto auerterat error.
At sacros audax, si quis violasset honores,
Hostem habuit. Dignis hinc semper laudibus auxit
Ambrosium, leges, diuinaq; iura tuentem.
Quem non è Geticis ignotum traxit ab oris
Littore Marmarico, Libycisuè eduxit arenis,
Sed propiore polo. Nam si Regina requiras
Et genus, & patriam; præclarum huic Roma parentem
Alma dedit, iustis illam qui rexit habenis.

Nec nato, vt creuit spatijs primoribus ætas,
Aut culti mores deerant, studiumq; laborum,
Ingenium, aut doctæ suauis facundia linguæ;

Quam

Quam fore non vani celebrem dixere parentes.
Nam gratus pueri cùm mollia membra foueret
Somnus, in illæsis (fama est notissima) labris
Examen consedit apum; ceu floris odori
Colligeret primo prædulcem verè medullam.
Dum metuit nato nutrix, abigitq; labellis,
Id vetuit pater, & læto spem pectore pressit.
Ast illud placidè abscessit, tenuesq; per auras
Elatum cœli petijt sublimia tecta,
Portendens tenero conceptum pectore nectar.
Sic creuit Lario nomen, sic acta iuuentus
Floruit, atq; foro meruit plaudente coronam.
Hinc annis grauior claros sortitus honores
Aemiliæ, ac Ligurum rector fuit, omnibus æquè
Charus: At Augusti summum virtute fauorem
Promeritus claram Insubrum peruenit ad vrbem.
Hic quantum fuerit tumidæ ambitionis amator,
Spretus honos, & uita uiri spectata probauit.
Nam populum magna dum seditione furentem

Permulcet dictis, summo pars optima plausu
Orantem excipiens suprema in sede locauit,
Quam tenuit fidei sacratæ Auxentius hostis.
Tum verò Ambrosius tanto se muneræ dignum
Pernegat, atq; nouos mores, & crimina fingit.
Et veluti captus vitijs, & ad otia natus,
Liberior turpes hominum conducere turbas,
Atq; aperire suas cœpit meretricibus ędes.
Inq; reos crudele fremens violentior ęquo
Durius imperium, tristesq; exercuit iras.
Sed nunquam maculas obducunt nubila cœlo;
Immersumq; cinis tetet non polluit aurum.
Incorrupta manet virtus, maiorq; resurgit,
Dum penetrat medios sine labe audentior ignes.
Ecce iterum redeunt ciues, hominemq; reposcunt;
Nec sceleris timuere notam, malefactaq; fictis
Accersita modis, vniq; tenaciter hęrent.
Ast alios turba in medium discissa trahebat.
Edidit hic varios discors sententia motus;

Cre-

Crescebatq; furor, cùm res spectaret ad arma,
Ex templo (auditu mirum, & memorabile dictu)
E' turba allatus puer inquit, Episcopus esto
Ambrosius. Voce hac mutantia corda quierunt.
Ergo vrgent medium vnanimes, retinentq, negantem;
Nectentemq; moras vix sole abeunte relinquunt.
Cùm subitò è studijs hominum, & popularibus auris
Proripiens sese Ambrosius iam nocte silenti
Ticinum petijt tenebris circundatus atris.
Sed frustra in vetitum mortales nitimur. Ille,
Dum credit rectos occultè euadere calles,
Anfractusq; viæ spatijs deceptus iniquis,
Flexit iter rediens Creteũm semper in orbem.
Errorem radijs rutilans aurora retexit.
Ergo oculos circum voluens, & pectus honestum
Percutiens, notæ clausum se moenibus vrbis
Perspicit, & tantum sine fructu adijsse laborem.
Vix retinet pauido dubios in pectore sensus.
Circundat reducem populus; coit omnis in vnum

Turba locum; solersq; virum custódia seruat;
Consulitur; magni petitur sententia quæ sit
Cæsaris. Ille libens tantum decernit honorem
Ambrosio; ingenuum qui cęlans corde pudorem
Nocte fugam media rursum taciturnus adornat.
Abditus in syluas, & proxima rura Leonti
Defertur fidens nemorum fallacibus vmbris.
Perquirunt fugientem iterum, camposq; pererrant
Innumeri; donec socio est prodente repertus.
Dum redit affectus curis, longoq; labore,
Cunctorum ante oculos portentum apparuit ingens.
  Fons erat, hunc arbos viridanti fronde tegebat
Plurima; prorumpens è saxo lympha nitenti
Pura dabat lenem strepitum saliente lapillo.
Fundebat dulces circùm luscinia cantus,
Atque aliæ volucres, quas felix vmbra fouebat
Herbosæ in molli ludentes margine ripæ.
Huc se cœlestis multis comitantibus heros
Fortè tulit. Sitiens hauriri è fonte perenni

Iussit

Iussit aquam ; veteris sed reddidit illa Falerni
Iucundum (noua res, & carmine digna) saporem.
Turba bibit, stupet, & mentis leuitate moueri
Primùm visa sibi est, post tanti munus amoris
Prostrata, atq; suos gaudens miratur honores.
Hic liquor (Eoo dum splendens Lucifer ortu
Exijt, & tenebras iterum deduxit in orbem
Hesperus) exhibuit letæ sua dona cateruæ,
Nobilis, & meritò Lyncestide clarior vnda.
   Inde vrbem Diuus repetit, fatisq; coactus
Exulis accepta Dionysi sede quieuit.
Tunc primùm sacris nitidum caput abluit vndis
Lustratus, munusq; animo constante recepit.
Vtq; aleret miseros, auri concessit egenis
Quod potuit tenui cupiens assuescere victu;
Plurimaq; ornauit positis altaria donis.
Nec tamen hic longa potuit (sic numina mandant,)
Pace frui. verùm quis singula dicere possit
Haud dubiè humanas multùm superantia vires?
Quàm

Quàm mirum est tanto numquam succumbere bello
Hunc potuisse virum? flammis præcinctus ab hoste
Fumiferis rapido nil læsus ab igne remansit.
Non gladij, infesto nec spicula concita cornu
Prostrarunt: siquidem ceciderunt irrita tela,
Euictęq; manus, fractæq; in vulnere vires.
Auxilium coelo omnipotens demisit ab alto.
Hunc seruare tuum decus est Iustina, tuorum
Præsidium, columenq; aulæ, sacrumq; parentem.
Non mea res, fidi tantum non vsus amici
Impulit; at Regina tui me suasit honoris
Cura loqui, laudisq; tuę, studiumq; salutis.
Dixerat: illa oculos ad terram deijcit acres,
Et quanquam commota silet, cladisq; futuræ
Nescia succensas contemnit numinis iras:
Ergo animum ad solitas conuertit callida fraudes.
Tempus erit, iamiamq; aderit, cùm stulta dedisse
Optabit cupidas monitis melioribus aures.
Illius siquidem crudelis Maximus hostis,

Præ-

Præstantes natos infandâ morte petemit.
Tunc vexata malis, sceleris sibi conscia bello
Auertit sese moerens, lucemq; perosa.
Acrius interea vigili custode tenetur
Ambrosius, circum fragor, & furibundus vbiq;
Miles, vbiq; horror. Syluæ viridantibus olim
Nutantes ramis cecidere; & florida rura
Vndique deductis squalent deserta colonis.
Huic tamen omnis erat rabies intenta, doliq;
Conuersi, vt peterent vnum, noctesq; diesq;
Ambrosium. Quoties valido contorta lacerto
Hasta viri stetit ante pedes, nec pertulit ictum?
Insonuit quoties ardens caua tempora circum
Ferrea glans? quoties mentita veste per vmbras
Barbarus irrepsit latro, insidiasq; tetendit?
Sed frustra petitur, quem prouida numina seruant.
Illi instare magis: furor emicat, itur in orbem;
Et tandem obsessos exercitus ignibus ambit.
Congesto rapiunt incendia fomite vires.

Por-

Portia lucentes inuadunt atria flammę.
Aethera nigranti complet caligine fumus.
Et crebræ obſcura ſcintillant nocte fauillæ;
Maior ab Aetnæis non vnquam efferbuit antris
Flamma, nec accenſo candens ſic vertice fulſit
Veſuius. Attonitam ſubitus pauor occupat vrbem.
Flammarum, ac tanti ſolus diſcriminis expers
Ambroſius, quamquam parua comitante caterua
Non timet, & vario modulatus carmina cantu
Templa colit, gaudensq; Deo fautore triumphat.
Namque furens rutili quæ dudum ſidera coeli
Lambebat, tenues ſenſim diſperſa per auras
Flamma perit, veluti ſi plena promptus ab vrna
Auxilio immenſos fudiſſet Aquarius imbres.
Reddidit hic ſtupidum caſus memorabilis hoſtem.
Dumque latent cauſæ, mentem metus, iraq; verſat,
Et triſtis dolor, & tantos fruſtrata labores
Spes ſtolidis concepta animis; hinc cura nocendi
Tardior, & pigro reſolutæ in corpore vires.

In-

Interea campo Ambroſius proſpexit aperto
Exceſsiſſe hoſtes, & libera Portia templa
Deſeruiſſe; procul quò ſe diſcordibns armis
Contulerat diri renuens certamina Martis:
Quamuis fida cohors Diuo Romana iuuentus
Cedere vix paſſa eſt turbatæ mœnibus vrbis
Pontificem, & clauſis tacitum ſe condere ſyluis.

Nunc alacres, reditumq; parãt, geſtantq; parentem
Subdentes humeros, lætum Pæana canentes.
Ille Deo laudes iucundo carmine dixit,
Solatusq; omnes tandem in ſua tecta receſſit.

Fulgida vix orbi croceos Aurora colores
Oſtendens noctis curru properante tenebras
Impulerat; paſtoris amor, ſtudiumq; videndi
Excitat Inſubres ſtratis. Hos ampla recepit
Planities Diui laribus, quæ proxima longè
Proſpicit, & quinas contingit finibus ædes.
Hic multa heroum, qui relligionis amore
Occubuere, feris quondam laniata tyrannis

Corpora diffuſo ſacrarunt ſanguine terram.
Subdiderant rigidis hi colla ſecuribus: illi
Præcelſas ſubiere cruces; alijq; quadrigis
Diſcerpti, aut duro transfixi viſcera ferro.
Hæc decora Inſubrum, tales antiqua triumphos
Promeruit pietas, animoſaq; pectora morti
Obtulit; vt ſtabiles vitam ijs repararet in annos.

Orta dies toto luxit nitidiſſima cœlo.
Ambroſius vigiles tacitæ traduxerat horas
Noctis inexhauto ſcribensve, legensve labore.
Sed poſtquàm concurſum hominum crebreſcere ſenſit,
Egreſſus poſita venerandus ſede quieuit
Antiſtes; numeris hinc ſuauibus ora reſoluit.

Tandem reſtituunt oculis me numina veſtris
Inſubres. Saluete animi dulciſſima noſtri
Gaudia; tranſactum poſt longi temporis orbem
Adſumus. En notos iterum diſcernere vultus
Et ſpectare iuuat fœcundam ciuibus vrbem.
Pertulimus quæcunque dedit, qui ſidera coelo
Fixit

Fixit, & æquoreis terras circundedit vndis.
Profuit hæc fortuna mihi: namque omnia iusto
Iudicio librata cadunt; & sæpe secundis
Efferimur nimium: ast æquè tolerata recurrunt
In melius, multosq; ferax patientia fructus
Reddit: at insinuat se se non cognitus error;
Et rapiunt vanos ludibria plurima sensus.
Hinc molles animos fortuna aduersa fatigat,
Cùm tamen extimulet resides, & fortibus addat
Robur, & insanas doceat deponere curas.
Nam quid agũt hominum pars maxima? plena tenebris
Pectora habent; ratio nec suppetit vlla, modusq;
Viuendi: imperium mentis tenet ipsa voluptas.
Ille domos Pario constructas marmore in altum
Erigit, & fuluo laquearia contegit auro.
Parietibus pendent depicta aulæa; relucet
Purpura texta thoris, passim pretiosa supellex
Conspicitur; famuli circùm, ornatæq; puellæ
Astant; perpetui recreant viridaria fontes.

Hæc patria eſt, coepti felix hic terminus æui.
Fœmineos trahit iſte greges, turpesq; choreas
Deducit; miſto reſonant caua cymbala cantu;
Ingluuies onerat lauta farragine corpus.
Sic vitio conſumpta dies, luxuq; perit nox
Peſſima: ſic molles viuit piger improbus annos,
Infandaq; inopem ſibi comparat arte ſenectam.
Congerit alter oprs, altricis viſcera terræ
Ingrata fodiente manu; pelagiq; profundum
Ingrediens ſcopulos inter, ventosq; furentesq;
Sulcat iter dubium, & ſuſpenſis funibus hæret.
Dum Gangem ſpoliat gemmis, dum littore rubro
Deligit albentes conchas, viridesq; lapillos,
Flauentesq; natans Hermi perturbat arenas,
Heſperijſq; inhiat ſemper pauperrimus vndis,
Quæ non monſtra videt? quantis iactata procellis
Fluctuat, iratoq; mari deprenſa carina
Vix ſubit effractis non cognita littora velis?
O' vanas hominum mentes, ò prodiga vitæ

Pe-

Pectora; ſupremi ſic grato corde parentis
Munera ſuſcipimus? ſic nos pro viribus æquum
Reddimus; extremæ memores ſic viuimus horæ?
 Quid mirum inſano ſi gentes turbine Mauors
Commouet, atq; ardens ſæuit per mobile vulgus
Seditio, nullumq; capit diſcordia finem?
Quid Romam rerum imperio, ſceptrisq; potitam
Afflixit? florens Aſia cur excidit olim
Græcia? Mygdonios proceres, quæ cauſa coegit
Tam celeri fractos bellis concedere fato?
Ambitio, inconſtans animus, præcepsq; cupido.
Quid primum antiquas radicitus eruit vrbes?
Atq; equare ſolo potuit Babilona ſuperbam?
Ocia, luxuries, dubiæ congeſtaq; menſæ
Fercula, melliflui, pretioſaq; vina liquoris.
 Hæc nondum edocti reſipiſcere poſſumus? ergo
Opprimet ipſe animum ſenſus, vitioq; relinquet
Victa locum virtus? & erit ſine lumine noſtrum
Corpus, & æthereas nunquam ſe tollet in auras?

Non

Non hac cara mihi ante alias vrbs inclyta nobis
Conditione datum est viuendi munus, olympi
Ire viam, præstare fidem, seruare necesse est
Iussa Dei. quibus ille bonis, fautorq;, paterq;
Nos cumulat? quibus ille modis in crimina lapsos
Erigit, & sensim diuinum inspirat amorem?
Gratius haud vnquam nato dulcissima mater
Detulit obsequium, quàm quo Deus optimus illos
Excipit, & tutæ præstat solatia vitæ;
Qui moniti vertere pedem meliora secuti.
Vos igitur casum vnanimes in vtrumq; parati
Virtutem reuocate animis. sit honesta iuuentus,
Sit pietatis amans, sit castæ fœmina vitæ,
Compescat nimios lex, atq; modestia sumptus,
Consilio valeat grauis, & cordata senectus,
Atque incorruptas seruet qui iudicat aures.
Relligio vigeat, tristis ne limina tangat
Seditio, firmas teneat concordia gentes.
Vestraq; ad æthereum aspiret mens semper Olympum.

Has

Has voces dictauit amor. quicunque sequetur
Casus, vester ero pastor, dux fidus ad omne
Promptus opus, patriæ custos, vestræq; salutis.
Fecerat his dictis finem, cùm murmur, & ingens
Lætantis populi plausus, laudesq; parentis
Auditæ. Ipse redit, famamq; euitat inanem.
Mutati multorum animi, quos gratia vultus
Augusti, suadela potens, impressaq; verbis
Vis tenuit, nec præcipiti sese amplius audent
Credere consilio, atq; nouos miscere tumultus.
Sollicitè incepit populis incumbere pastor
Curandis, firmare animos, componere mores,
Deterrere malos, errantes flectere verbis
Mitibus, instaurare Deo sublimia templa,
Et miseris proprio sumptu succurrere, & omni
Ad diuina rapi studio. Non ille quietem
Amplexus nemorum, aut ruris sectator amoeni,
Sed vigil, atque sacri cultor, laribusq; pudicis
Nunquam digrediens, nisi ferret temporis vsus,
Mun-

Mundities tenuem ornabat, non copia mensam:
Tam puris contentus aquis, quàm dulce Falernum
Contemnens, Patrum antiquos æquabat honores.
Quòd si aliquis rigidas Scythiæ squalentis eremos,
Aspera vel conferre velit deserta colentes,
Aut qui torrentes Libyæ sitientis arenas
Calcarint, vel qui Aegypti deuexa tenentes
Pertenuem victu tolerarint paupere vitam,
Diuinos homines magno veneramur honore.
Verùm inter steriles syluas, atque arida rura
Fortè minus mirum est contentum viuere paruo,
Inter delicias, natamq; ad commoda gentem,
Tot rerum cumulos variarum vincere sensus,
Et tenuem cepisse cibum, noctemq; legendo
Transigere, & fessis horam vix cedere membris,
Multo maius opus, virtutisq; omnibus amplum
Perfectæ numeris specimen miranda secuta est
Hinc operum Ambrosij series. Cùm humana tenerent
Corpora terribiles Acherontia monstra dederunt
Prætereunte illo fremitus; tum cedere iussa,

Et

Et Phlegethontæas iterum tranare paludes,
Exibant subitò, manifestaq; signa recessus
Linquebant, magnum sancti repetentia nomen.
Ergo præpetibus tollit se protinus alis
Italiam super, & Tuscos, & transilit Alpes
Fama mouens Gallos, atq; hæc miracula pandens.
Iungitur Ambrosio veræ pietatis amator
Martinus, necnon venerandus ab hospite ductum
Xenobius nomen retinens; visurus amicum
Liquit Honoratus Vercellas. Diuus in ore
Omnium erat. quoties ægros curauerit artus,
Seruarit patribus natos, natisq; parentes.
Tantus erat: tanta insignem pietate, fideq;
Viderunt populi, & tanto splendore micantem.
Sed citius croceæ flores quis colligat Hyblæ,
Aut Metymnæi pendentes palmitis vuas,
Quotq; alto niteant radiantia sidera coelo
Enumeret, quàm facta viri sublimia possit
Carmine complecti. Proprio satis illa coruscant
Lumine: nec meritis vllum mortalis honorem
Addere lingua potest, æquas nec dicere laudes.

SECVNDI LIBRI ARGVMENTVM.

CVM ob Arrianorum odium, & seditiosorum, qui cum illis conspirarant, perfidiam, ita insidijs iterum Ambrosius peteretur, vt timeret, ne hæreseos pestis, quæ ab Arrio disseminata fuerat, latius serperet, nihil non egit, vt à tam imminenti periculo aliquando liberatus bonorum curam gerere, & eosdem tueri, pacemq; optatam, & tranquillam confirmare posset. Quare magnas, & firmas tam equestres, quàm pedestres copias, quas ex delectu Italiæ compararat, ex singulis vrbibus euocauit. Complures aderant Romanorum familiæ; inter quas Fanniana; quæ permultos annos Diuum Ambrosium secuta fidelem illi operam semper præstitit. Mediolanenses quoque, de quorum salute agebatur, statim sese ad opem Diuo ferendam, & ad bellum gerendum instruxerunt. Ambrosius milites cohortatus hostium impetum excipere, opportunumq; pugnandi tempus exspectare constituit.

Aliud Cæsaris Millefantij I. C. & Can. Scalen. Argumentum.

PERFIDIA, insidijsq; iterum, grauinsq; petitus
Euocat armatas acies, hinc inde profectas
Ambrosius, certasq; exspectat tempora pugnæ.

IO.

IO. MARCI FANNIANI
DE BELLO ARRIANO.
LIBER SECVNDVS.

SED fortuna potens partá turbare quietem
Ambrosij,& varios miſcere īſida tumultus
Incepit. proprijs ſic vita agitata bonorum
Clareſcit meritis patiens; ſemperq; merendo
Fortior, atq; nouos ſtudiosè amplexa labores.
Vir ſiquidem Auſoniæ columen,lumenq; refulgens,
Diuinus cui ſemper honos, & gloria curæ,
Peſſima corruptas premerent cùm ſemina mentes,
Et multos vitium lethale agitaret inanis
Ambitio accenſa conſumens pectora flamma,
Inſidijs iterum petitur. carpuntur honores
Ambroſij, exitium rurſus crudele paratur.

Sic patet inuidiæ virtus, pietasq; furori.
Septeno haud aliter quà gurgite Nilus abundat,
Vir tulit ille graues immoto corde procellas,
Olim Pellæam qui rexit Episcopus vrbem;
Aeternumq; dedit cui virtus ardua nomen.
Namq; sacris vinctum retinebat viribus hostem;
Ne concussa fides rueret, legesq; labarent.
Hic infida gerens, auersaq; numine corda
Intentare minas; ex ipsis finibus actum
Excipere insidijs, ignemq;, vndamq; negare;
Non nemus, aut vallis fugientem concauā texit.
Humenti puteo Diuus, cæcaq; lacuna
Delituit; quò vitam iterum obiectare periclis
Posset, & in cœlum seruatas tollere gentes.
Sedulitas eadem Ambrosij, studiumq; vigebat.
Aduocat aduersas rursum tristissima partes
Eumenis, & dictis mentes succendit amaris.
Bessus erat, qui perpetuùm flagrabat anhelo
Pectore, & ante oculos montes sibi fixerat auri.

Inui-

Inuicti Comites, quorum Africa plena triumphis
Mirata est animos, nomen tremit Itala tellus,
Tot Latij validas olim penetrastis in vrbes,
Insubrum madidos tinxistis sanguine postes,
Ocia nunc positis securè ducitis armis?
Cùmq; noua populos iungat sibi callidus arte,
Atq; illo Antistes multo præstantior adsit,
Ambrosium ignoti venerantem numinis aras
Reginæ immemores fertis? Quò vestra refugit
Mens deiecta metu? Nec honos, nec gloria belli
Vos tangit? nec iussa mouent? nec præmia pellunt?
Hunc hominem cinxit flammantibus vndique tædis
Miles; & erepta est manibus victoria: pacem
Nunc periuris habes; nec iam parere iubenti,
Nec pudet heu vilem domino succumbere seruum?
Quò decus antiquum, virtusq; infracta recessit?
Stringite fulgentes gladios, prosternite telis
Omnibus inuisum, nec fata extrema timentem.
Nunc spectator ero, si quem Iustina mouere

Me

Me suasore queat. Commoti protinus omnes
Vocibus his veteres renouarunt acrius iras.

Mittitur extemplo Iustinæ ad limina, coepto
Qui petat auxilium bello, rebusq; nouandis.
Audijt illa, suis iussitq; inquirere regnis,
Qui iungant simul arma, viros Reuerentia magni
Cæsaris, & pietas natorum, atq; inclyta fama
Ambrosij multos tenuit; sed tristis egestas
Impulit erecto prauos dare nomina pilo.

Hinc repetit Regina scelus, non filia Iusti,
Non illa aut natis, aut tanto coniuge digna.
Nimirum varios audax cùm fœmina sensus
Quò libitum est, torquet, solio quam cæca locarit
Fortuna, & magnas cui sceptra minacia vires
Addiderint, ruit in vetitum. subuertitur omne
Cum ratione decus. rapitur ceu flatibus Euri
Compulsa, Aegæo frangendaq; littore puppis:
Et veluti dubia est præceps vertigine currus,
Quo super ambitio sedet: ast auriga libido

Er-

Errat, & instabiles dum passim flectit habenas,
Quadrijuges toruo scintillant lumine flammas,
Sæuitia, ira nocens, rabies vesana, furorq;
Euertere rotas, radiorum rumpitur ordo.
Dissiliunt toto conuulsæ limite partes.
Non aliter virtute carens, & mente superba
Fœmina, si capiat regnum, stat vindice fato
Submissura caput, vicinæ obnoxia morti.
Sic perit Assyrias, quæ quondam callida gentes
Regina elusit, dum nati adolesceret ætas.
Sic soror, & coniux Pharij Cleopatra Tyranni,
Somnifero extremum quæ accepit ab aspide vulnus.
Te quoque regali concepta superbia luxu
Iustina, & Latij fasces, mensq; inuida prauam
Reddidit, æternum sine spe dolitura peristi.

Hos motus varios, rediuiuaq; prouidus arma,
Atq; alias sensit renouatis viribus artes
Tentari. caperetq; pio flammatus amore
Ambrosius molli eloquio compescere mentes,

Et

Et populo optatam vellet reparare quietem:
Sed curæ inflectunt animum, veterumq. malorum
Propositæ ante oculos labes, & tristis Erinnys,
Et totum inficiens erroribus Arrius orbem.

Hoc siquidem immani spirans ex ore venenum
Horrendum è Stygijs monstrum proruperat antris.
Prima Paratonij turbauit littora Nili.
Scilicet omne nefas exercuit impia tellus.
Hæc insana Deos Solem, stellasq. putauit,
Cumq; feris coluit mistos immitibus angues
Infelix. Quis enim dispersit semina cultor,
Irriguasq. immisit agris sitientibus vndas,
Torreret magnis quos sicca caloribus Æstas,
Surgeret vt messis? Non te natura iubebat
Mirari auctorem, atq. attollere lumina cœlo?
Quæ non præcipiti commisit crimina lapsu
Mens infrena hominũ? quid prætermisit inausum?
Diuitias summa fudere libidine Reges;
Diffuso ingentes elatæ ad sydera Nilo
Pyrami-

Pyramides, tumulo tunc se dementia primùm
Condidit. Accepto sedit turpissima sceptro
Fœmina; tum cunctis concessa licentia ferri
Sontibus. indigna Sanctorum cæde perempti
Insignis numerus. Quid mirum? hic serpere Python
Pestiferum; hic primum cœpit diffundere virus;
Tentare hinc varios tractus, lateq́. vagari.
Perniciosa pij timuerunt sibila patres.
Vtq. ferum valida serpentem indagine vinctum
Opprimerent, tutaq́; locum statione tenerent,
Sancirentq́; sacræ vnanimes compendia legis,
Concilio est indicta dies; qua singula pleno
Tractarent coetu, atq; ægras medicamine mentes,
Diraq; vipereæ curarent vulnera linguæ:
Vt foret & firmata fides, & cognitus error:
Vnde Deo meritas canerent pro munere laudes.

Expectata dies fulsit, conuenit & ingens
Turba virum suspensa animis, sacroq; timore;
Cùm Pater omnipotens scelerum iustissimus vltor

Conatus hoſtis tumidos, animumq; rebellem
Haud patiens ſæuo confecit vulnere corpus
Arrij; & effracto fluxerunt viſcera ventre.
Aſt animam furuæ ſubitò rapuere phalanges.
Tunc hominum patuit voces valuiſſe piorum,
Atque iram exarſiſſe Dei, iuſtumq; furorem.
Namque loco illius proſtratum immane cadauer
Confeſtim iacuit foedo mirabile viſu,
Quem rubra Arſacidum nunc indicat vrbe columna.
Permultas tamen infecit penetrabilis oras
Dira lues. coepit paullatim augeſcere morbus,
Atq; per incautas hominum proſerpere mentes.
Vrbibus hinc magno præceps diſcordia motu
Exorta eſt. totum Eumenides ſparſere per orbem
Bella; nec ardentes poterant exſtinguere tædas
Solliciti Patres. Etenim vitioſa trahebat
Turba bonos; nec tuta fides: ac cuncta periclis
Expoſita, & nimia res libertate ruebant.
Propterea nunquam diuini Præſulis ingens

Sedu-

Sedulitas, nunquam Ambrosij pia cura remissa est.
Qui velut assiduus montano in vertice pastor
Ad liquidos ducens fontes, & gramina læta
Molle pecus, si fortè lupum, si fortè leænam
Viderit, arma manu capit, irritatq; Molossum
Voce, ferasq; minis terret, demumque sagitis
Impetit assultantes; donec fortibus ausis
Seruatas pecudes ad ouilia tuta reducat.

At lethale malum, quando ratione mederi
Non poterat, cernens iterum crudescere, & acri
Ense recidendum, fidos collegit, & omnem
Exposuit seriem rerum. tum munera cuique
Diuisa. accito placuit quoque milite turmas
Augeri. Emissi spatiosa per oppida fortes
Inuitant. Laus prima vetus, pugnaxq; Cremona,
Certansq; antiquæ generosa Placentia Parmæ,
Præualidas misere manus. misere colentes
Eridani ripas populi, quosq; alluit Arnus,
Aemiliæq; vrbes, claroq; Bononia pollens

Nomine, & Adriacis circumſona fluctibus ora.
His bello promptæ Ligurum acceſſere cohortes.
Harum pars validas tacitè mittuntur in arces;
Vt clauſos teneant aditus, hoſtemq; repellant,
Si ſit opus; pars Inſubres deducta per agros
Aduentu innocuo: nam nullum iniuria ciuem
Offendit; nulli doluerunt damna coloni.
His factum auxiliis, vt, ſi fuat vſus, in ampla
Planitie Ambroſii totis concurrere caſtris
Non dubitent ſe poſſe Duces: nam iam adfore multos
Rumor erat populos, coniuratasq; furentis
Iuſtinæ accelerare acies, peregrinaq; ſigna.
Longè etenim Pharia crudelior aſpide, Tigri
Horridior, ſitiens Diui Iuſtina cruorem
Subſidio dederat funeſti militis agmen.
Nimirùm rigidis quoſcunque in montibus ortos
Prædones pelagi, patria vel ſede fugatos
Repperit, aſſiduis vitam tolerare rapinis
Aſſuetos, & adhuc humana cæde calentes.

Queis

Queis furto cessere Scinis, feritate Lycaon,
Insidijs Cilices, foedusq; cruore Procustes.
Hos fuso adduxit pollutus sanguine fratrum
Cyllarus. Ingressos vrbem, fessosq; refecit
Vna dies: sed nox perturbat nigra quietem;
Insanæ proprio vexantur crimine mentes.
Horrificant variis volitantia monstra figuris,
Cæsorum terrent nocturni lumini manes.
Quæ suadent miseræ subeunda pericula vitæ,
Atque nouo ad certam inuitant discrimina mortem.
Interea excitam magnis clamoribus vrbem
Nuncius, arreptisq; hostes excurrere telis
Attulit, & propius vesano accedere cursu.
Ergo animos acuunt, & tela minantia promptè
Expediunt, qui circum aderant, pugnamq; reposcunt.
Hanc proceres, hanc Insubrum cupit alma iuuentus;
Quos pater excipiens placidè, vultuq; sereno,
Ardentesq; videns facundo hęc edidit ore.
Quàm vellem, quæ signa viri sub principe nostro
Eri-

Erigimus, non vrbem inter, nostrosq; penates,
Finibus at longè à patriis inferre liceret
In Persas, Parthos, latumq; Orientis in orbem.
Nunc mala multa premunt, media grassantur in vrbe
Armatorum acies. operam consumpsimus omnem:
Nec potis est miti furibundus flectere quisquam
Suadela. Quæ non Thomnestus frangere corda,
Quem non dulciloqui facundia debuit oris
Mollire? Insurgens maiora incendia miscet
Arrius, & claras Italorum irrumpit in vrbes,
Insubrumq; modis animos pertentat iniquis.
Cùm primùm populos in me Iustina feroces
Immisit, vi pertractus sacra bella peregi;
Sæpius & votis fauit victoria nostris.
Vos testes, qui multa manu gestante trophæa
Cognita belligeri passim monimenta laboris,
Quæ videant nati natorum, hac vrbe locastis.
Quis nescit Lapidem sanctum, rubramq; columnam,
Templorumq; alto pendentia fornice signa,

Pyrami-

Pyramides, multis atq; indita nomina vicis?
At, quantum potui, seruatam à cladibus vrbem
Continui, compreßi hostes: tamen inde verebar,
Vincendi nimia ne forte cupidine ferrer.
Ceßi. Castritiane tua conclusus in æde
Et toties conferre manum, & tot prælia fugi.
Tum me per varias fortuna exercuit artes,
Corq; meum sæpe illius perstrinxit amaror.
Solabar numeris animum, mentesq; meorum
Aegras diuina mulcebam laude. Potentum
Dum gliscit crudele odium; dum sæua minantum
Iussa tonant, Deus obsessum seruauit, & ignes
Suppositos ipse exstinxit, sedemq; priorem
Reddidit. Hæc poterant animos lenire superbos.
Num mouit pietas, aut vlla modestia? Creuit
En rabies? auxit patientia nostra furorem?
Desertam né licet perdi me Præsule gentem?
Duceret in dubium si nostræ commoda vitæ
Fortuna, æquum esset cunctos tolerare labores

For-

Fortiter, aduersisq; animum exercere ferendis.
Nunc trahitur nostra in præceps pietasq;, fidesq;,
Aeterniq; Dei cultus; qui numine cœlum,
Et mare, & immensum qui complet maximus orbem;
Aurea perpetuo qui volui sidera motu
Imperat; vt certo maturos tempore fructus
Reddat ager, generi gratissima munera nostro.
Qui solus vitam infundit, mentemq;, animumq;,
Tum varios tali diuisos ordine sensus.
Hunc sperni, illudi ante oculos patiemur inulti?
Hoc tantum scelus Insubres, ingrataq; tanto
Hæc dona auctori dabimus, qui crimina delens
Supplicio nati, nobis reserauit Olympum,
Conspicuamq; alto patefecit in æthere sedem?
Percipite exemplum veteris lachrymabile secli.
Cùm senior turpi corruptam crimine vitam
Natorum argueret patrio deuinctus amore,
E' proprijs illos nunquam migrare coegit
Aedibus, hoc satis esse putans, si inuaderet asper
Illo-

Illorum vitium, & grauioribus acta querelis;
Decepit miserum hæc pietas, & perdidit error.
Mortuus euersa cecidit de sede sacerdos.
Si perijt grauibus mediocria crimina verbis
Accusans, natos secum quòd pertulit Heli
Viuere, nos inter nostros tot monstra penates,
Nos tantum hæreseos facinus, tot funera, tantum
Dedecus in media taciti tolerabimus vrbe?
Non credam. vestræ non hæc mihi prima dedistis
Pignora virtutis; non me hoc decorastis honore;
Immemor vt vestri tam tristi tempore possim
Esse. Meæ certum est vestram præponere vitæ.
Vos, quos firma fides, animi constantia, felix
Exitus induxit summo noua sidera coelo,
Vitalis, tuq; ò Latios qui semine campos
Agricola implebas, vt surgeret aurea messis:
Quiq; meam grata refouetis imagine mentem
Sæpius exstincti concordi funere fratres,
O' Protasi, & nostræ Geruasi firma salutis

Anchora, quiq; tuæ populis veneranda dedisti
Mirocles vitæ exempla, exaudite precantes.
Addite nunc vires animis, hostemq; superbum
Terrete, & summum nobis placate tonantem;
Et munite meos diuino robore sensus.
En adsum; læto resplenduit omine coelum,
Hostibus incumbam primus. Iam tollite signum
Audentes: capite arma citi, turbæq; frementi
Fortem inferte gradum: iam deuolat æthere puro
Confidens niueo felix victoria curru.

His dictis tolluntq; manus, atq; arma ministrant.
Primus adest vitæ consors, sociusq; laborum
Cunctorum Satyrus fraterno incensus amore.
Hoc sine nulla dies, rebus nulla hora gerendis
Impensa est. Cor vnum inerat, mens vna duobus.
Præclara Ambrosij succedit stirpe creatus
Consilio, atq; manu fortis Tignosius heros
Romanæ princeps pubis, quem mille sequuntur
E' Latio iuuenes, inuicti gloria Martis.

Hic

Hic Coruina domus, Cottæ, prifciq; Quirites,
Murenæ, Craffi, Cicerones, & quibus hordi
Indiderant noftris nunc cognita nomina terris.
Hi, quando media feruet conftictus in vrbe,
Quamuis ftent frænis inftructi quadrupedantes,
Aptant fe pugnæ pedites, & fortia vibrant
Pila manu, cingunt gladios, scutisq; finiftras
Læuibus infertant alacres, galeisq; decori.
Ipse armis nitet auratis, quę fplendida torques
Ambit, & fulmineum lateriq; accommodat enfem.
Tum clypeum capit ingentem, quo infignia prima,
Atque lupę placido nutritos vbere fratres,
Paruaq; Romuleę quondam primordia gentis
Lemnius egregia cęlauerat arte magifter.

Hos inter proceres ftabat gens Fannia claro
Sanguine, non animo, non robere corporis vlli
Inferior: dignum antiquis hæc concipit actis
Mente decus, cafus & fe componit ad omnes
Septeni fratres pubentis flore iuuentæ.

Conſpicui, inſtructi telis, pugnæq; parati.
Primus Biſtonij generoſus Martis alumnus
Curtius, acer equum domitor, victorq; ferarum.
Contegit hunc Libycæ pellis villoſa leænæ;
Læua tenet clypeum, quem fulgens lamina ferri
Circundat, medioq; biceps protenditur orbe
Longa acies. Geſtans pariter tegiturq; feritq;
Dextra quatit iaculum, cingit latus aureus enſis,
Ars veterum Hiſpana quem quondam tinxerat vnda.
Illuſtrans galeam flammas vomit ore Chimæra.
Inde ferox, vultuq; rubens, ac feruidus ira,
Herculeæ tollens immania pondera clauæ
Torquatus; qui ſanguinea ſe cinxerat Harpe,
Et latum Getico pectus muniuerat vrſo.
Tertius Heſperiæ iuuenum pulcherrimus haſtam
Fraxineam quatiens, & verſicoloribus armis
Spectantum inſignis vultus, oculoſq; trahebat
Collatinus auos referens, nomenq; decuſq;.
Aeacidem ille animo ſuperabat, Nirea forma.

Quar-

Quartus gesta tenens, & Gallica tela Camillus
Indutus galeam, & splendens thoraca subibat.
Pectora dependens ornabat circulus auri,
Et iuuenile minax lato femur ense tegebat.
Aeolia quinctus formatam incude bipennem
Munitus varij Serranus tegmine Pardi
Gestabat, binis insertaq; cingula ficis.
At gemini fratres adoperti sacra galero
Tempora, tela tamen succincta veste tenentes,
Cælius, & Numitor coniunctis passibus ibant
Threicij ijs pendent arcus, Scythicæq; pharetræ;
Tum duras inuenta manu Balearica glandes
Contorquent, atq; Ambrosium comitantur euntem,
Quà velit, & fidi dominum tutantur Achates.
Succedunt alij, è quibus eminet Ozinus heros,
Atq; ferox Osius, præstansq; Oldanus, & vnà
Robustus, grauibusq; fremens Porcellus in armis.
Callidus insequitur tacitè Continus, & asper
Vaironus, roseo tum commendatus ab ore

Orom-

Orombellus, & æquali Castelontius æuo.
Ast aciem clausit Garaualia corpore fidens
Procero, semperq; Palatius ardua quærens:
Submittensq; animum nullis Cacadentius ausis.
Tum numerosa manus bellorum assueta labori
Insubrum, vexata malis, hostesq; perosa
Conueniunt. mens vna illos expendere ferro:
Hos pietas, hos vrget amor, faciesq; verendi
Præsulis; hos stimulant miseranda incommoda vitæ.
Cuncti igitur patrijs exportant postibus arma.
Hic palmas implet iaculis; balista sed illum
Armat: at hunc rhomphæa vetus rubigine multa
Horrida; nec desunt verua, infestiq; dolones.
Atria complerant densæ campumq; cohortes
Ingentem, celsæ propior qui cernitur ædi
Felicis. Diuus proceres accedere iussit:
Quos inter medius consistens talia fatur.
Sit sacer iste labor, crudeles pectoris iras
Ponite: cum ratione decus iungatur. Abesto

San-

Sanguinis atra sitis, timor, & temerarius error.
Dixerat. Assensere Duces, fremitumq; dedere.
Quale examen apum, dum intra prætoria Regem
Stipat, gratum edit murmur, lenemq; susurrum,
Atque probat vario assensu, dominumq. salutat;
Et fucos pecus ignauum à præsepibus arcet.
Præmissi interea redeunt, & cognita narrant
Exploratores. quam partem insederit hostis,
Quidvé paret, qua se teneat regione recensent.
Iamq. actas Diris legiones assore credunt.
Tutius hic visum est temeraria signa mouentes
Excipere, & validis incumbere viribus omnes;
Quàm subitò aduersis aquilas inferre minantes.
Considunt, tacitoq; fouent in pectore bellum.

TERTII LIBRI
ARGVMENTVM.

ARRIANORVM Duces submissis à Iustina auxilijs, animatisq; militibus, tumultuario exercitu, dispositisque insidijs ad Ambrosij perniciem conuolant; quis intra vrbis moenia non procul à templo, quod nunc quoque magnificè instauratum visitur, cum ijs conflixit; flagroq; manu capto, atque equo in aduersos hostes concitato diuina animi fortitudine conterritos profligauit; qui fuga salutem quærentes in eam vrbis partem munitam sese receperunt, quæ solitum ipsis, tutumq; erat perfugium. Permulti elapsi in syluis delituerunt. Christiani milites ijs, qui in vrbe remanserant, obsessis, ne quid improuisum accideret, excubantes totam noctem peruigilarunt.

Aliud Cæsaris Millefantij I. C. & Can. Scalen.
Argumentum.

ACRI vectus equo, dextraq; tenente flagellum,
Collatis signis Diuus concurrit in hostes,
Qui consternati per syluas terga dedere.

IO. MARCI FANNIANI
DE BELLO ARRIANO.
LIBER TERTIVS.

Nigrior interea velauerat æthera nimbus,
Cùm ſcelerata cohors è tetro limine Ditis
Prodit, ceu fecũda iterũ det ſemina tellus
Parturiens coelo moturos proelia fratres;
Myrmidorumvè ferat furuis animata figuris
Corpora, paullatim creſcentibus effera membris.
Compleuere vias lymphato barbara curſu
Turba. ſonum miſtis ſtrepitantia tympana ſiſtris
Dant. vox humanæ haud ſimilis, propiorq; ferinæ.
Nigrantes arent vultus; ſed lumina turgent
Fronte caua; miſcentur equis ſine lege cateruæ
Attonitæ peditum. mœſtis vlulatibus omnes

Proxima fata gemunt. lugubris consonat Echo.
Ductores, quos infensis exercitus odit,
Crudeles animis, Eudoxus, & acer Apelles,
Armodius, latiq; Meletius incola Nili,
Berillusq; sagax indigno ornatus honore,
Herculea veniens & notus ab vrbe Sabinus,
Faustusq; infelix, & dignus nomine Manes,
Cuncti cæruleo super arma teguntur amictu;
Post ingens numerus, ceu mons vndantis arenæ,
Quæ turbat Libyci Iouis horrida templa petentes.
His habitus varij. cingebant linea partim
Tegmina densa caput. partim vetus arida serpens
Infaustum tutamen erat. Thoracis in vsus
Tergora quadrupedes dederant, piscesq; marini;
Ferrea nonnullis inmani pondere cassis.
His vestis genuum tenus, his discincta fluebat
Longior. Arma manu sparus, Hemoniæq; sarissæ,
Fundaq;, Colchiacis & spicula tincta venenis.
Lethiferiq; arcus, sparsæq; cruore bipennes.

At

At signis depicta horror Plutonis imago,
Et Furiæ innexos reuolutæ crinibus angues.
Infandis hinc monstra Deum variata figuris.
Antiquo colitur primùm qui natus Osiri,
Post idem indignè latrans spectatur Anubis.
Parte alia mugit stellata fronte iuuenca
Inachis, inde Deæ formam capit Isis inanem.
Quin etiam variæ volucres, procerior Ibis,
Niligenæ pariter lachrymas, qui cæde peracta
Fundentes paruo superantur ab hoste Dracones.
Hæc impressa tenent gestantes pectore signa.
Horum erat Ambrosium proprijs includere tectis
Consilium, & rursus rapidis præcingere flammis,
Tum templis inferre faces, totamq; per vrbem
Exercere nefas, nec quidquam linquere inausum.
Defuit ast operi finis; non defuit auctor.
Quattuor ad sacras laudati Præsulis ædes
Cursus erat vicis. Læuo se inimica caterua
Intulerat; dexter veteres ducebat ad hortos

H 2 Ly-

Lysippi, atqs nemus condensum, & Portia templa.
Vallis erat syluæ medio, quam densior vmbra
Fecerat insidijs aptam, cannæq; palustres.
Hic sæui metuit dum prima pericula belli,
Delituit fallax, & multo milite septus
Euentum pugnæ prospectans Praxeas, vnà
Cherintus, segnisq; Nepos, & iniquus Apistus.
Vt, cùm Mars medijs districta furoribus arma
Misceret, captæq; forent certamine mentes.
E latere Insubres peterent, equitesq; repente
Immissi impulsas possent discindere turmas.
Ast alios aditus summa ratione tenebat
Relligiosa acies, quæ multis partibus vrbis
Auxilio facili cuncta opportuna parabat.
Dum verò hæc agitant, vulgi concussa tremiscunt
Corda: procul muris prospectant horrida matres
Agmina, complexosq; premunt ad pectora natos.
Templa petunt multi, crebrisq; altaria cingunt
Luminibus; votis damnant se, & numina placant.
Quis-

Quiſque animo reputat, quantas anguſtia cædes
Sit latura loci; quæ rorans ſanguinis vnda
Impletura domos, ipſo dum in limine pugna eſt.
Namque, acies campo ſi congrediantur aperto,
Certandi varium genus eſt. Nunc ordine terno,
Quadratovè phalanx: nunc flexa cornua fronte
Concurrunt; nunc effuſis equitatus habenis
Perturbat cuneos; fugiens redit hoſtis in orbem,
Victoremq; petit: totum conuertitur agmen.
Flauentes veluti validis cùm flatibus Auſter
Impellit ſegetes, Boreas ſi parte ſuprema
Aduerſum ſpiret; tunc primos ille remittit
Conatus; repetens vires ſed fortius inſtat
Vndantis campos, humilemq; incumbere terræ.
Et rurſum videas agitatam inſurgere meſſem.
At cùm parietibus, ſpatijsq; incluſus iniquis
Bella geris, recto perſtandum limite, pectus
Tutandum clypeo, pariterq; in tela ruendum.
Coniunctas ſimilis pugnæ fortuna triremes

Exercet, medijs quas Mars conclusit in vndis.
Res agitur propiore loco; librataq; certo
Vulnere dextra ferit, teliq; incumbit adactum
Pondus; & angusto non possunt tramite membra
Subduci: at sortem patitur sibi quisque paratam.

Vrbe iacens media veteris cognomine currus
Circus erat; partes quo se via findit in octo.
Hucq; propinquabant infestis agmina signis.
Non procul Herculei surgebat machina templi
Vestibulo insignis, celsoq; ornata theatro;
Cælatis variè circum stipata columnis.
Hic cladis monimenta suæ, dextraq; trophæum
Spectantes Diui trepidant. Procedere iussit
Armodius, medio vexillaq; figere Circo.
Hinc vrget dictis; tum fallax laudibus effert,
Sollicitatq; inopes, alienaq; munera donat;
Ad pugnamq; vocat pauidos, additq; vigorem.

Qui timet incertis sese committere belli
Casibus, huic verbis animum firmare necesse est.

At

At vos terrarum domitrix gens haud decet vllis
Hortari, aut ſtimulare modis. in pectore veſtro
Emicat, & proprio tollit ſe nomine virtus.
Illa ſibi ſatis eſt, longò dum bella peracta
Ordine connumerat, tantumq; vltricibus armis
Emenſum mundi ſpatium, peragrataq; nulli
Aequora deductis paſſim dominata carinis.
Seruata eſt etenim veſtro Mareotica tellus
Auxilio; domitis euicta hinc extera regna
Gentibus, & noſtris meritò ſeruire coactæ
Legibus; atque Atri ſublatum ad ſidera nomen.
Græcia, Mygdonij tractus, Lybiæq; receſſus,
Atque vrbes Italæ hoc teſtantur. ſola reſurgit
Vana ſuperſtitio Inſubrum; totiesq; retractat
Victa iugum. ſola Ambroſio regnante tumultum
Ambitio mouet, & credit laudabile vinci.
Triſtior attonitum vulgus fortuna fatigat;
Sed Ducis illa eadem fraudes conuertet in ipſum
Auctorem. iuſta nam corruet impius ira.

At

At multi Ambrosiũ metuunt; nam carmine mentes
Mutat; & horribiles vana sub imagine formas
Inducit; multis humanaq; corpora morbis
Conficit; & iuuenum simulacra loquentia ad aures
Sunt visa; infernisq; animæ remeare nocentum
Sedibus, & coeli descendere culmine Luna.
Et quisquam obtenues horrescet territus vmbras,
Languescetq; manu, viliq; elusus inibit
Arte fugam, & ridenda dabit spectacula victis?
Figite eum iaculis; telis proscindite membra;
Diuidite ense caput; liuenti fundite plumbo.
Concidet, & veram languenti lumine mortem
Oppetet: insani cessabunt pectoris artes;
Nec vitam Ambrosiæ succo medicabitur ægram.
Sed quid ego hæc vobis? cur belli ardore frementes
Demoror? ite citi, turbatum tendite in hostem.
Vrbs vobis opulenta, auro, argentoq; referta
Expugnanda datur, iam, iam cum munere læto
Aduenit, vt multos victoria parta labores

Subleuet, & dextras spōlijs insignibus ornet.
Primus ego aut hodie victor, felixq; futurus
Irrumpam; aut memor antiquæ virtutis inultus
Non moriar, si speratum sors inuida finem
Deneget. his dictis redijt furor; igne Megera
Accenso volitat. Sed iam perspectus vtrinque
Hostis erat. pugnæ dant Martia classica signum.
At cœli conuexa fremunt. concussa theatri
Moles; & tremulis mutant laquearia tectis.
Tum Diuus primam ante aciem sic ore locutus.
Pauca viri; nunc tempus adest, quo viuida virtus
Emicet; & famam studeat sibi quærere factis
Aeternam. patria ante oculos, cariq; penates,
Et coniux, natiq;, & multo pater obsitus æuo
Versentur, manibus ruituraq; templa nefandis.
Vincite. finierat; rapido velut impete torrens
Ecce acies inimica ruit. nullo ordine cuncti
Intendunt animos, districtaq; tela coruscant.
Vndique præradiant auro vexilla nitenti.

Magnanimo soboles procedit Fannia passu,
Atque rotat signum, celeriq; volumine versat;
Præpes vbi fuluas Iouis armiger explicat alas,
Incuruosq; pedes vibrat, toruumq; tuetur.
Tum diuum aspectans ita fatur Curtius heros;
Haud fas te in medijs Princeps venerande periclis
Versari; cui nostra salus innititur vni,
Italiæq;, vrbisq; decus. te subtrahe pugnæ,
Deprecor. hæc curæ nobis. hodie arma cruenta
Affigam templo, raptumq; ex hoste trophæum.
Dixit; & aduersos primus præcurrit in hostes.
Hunc hasta infensus subitò speculatus Apelles
Irruit: at iaculum is clamantis adegit in ora,
Quod fixum media ceruice repente pependit.
Impius effuso turpauit sanguine terram.
Non tulit Eunomius morientem vlturus amicum;
Ense ferit, duplicatq; ictus, ac feruidus vrget.
Curtius opponit clypeum; tum figit acuto
Hastili latus, inde pedem truculentior infert.

Cessissent turbatæ acies, ni Pollio, Barbas,
Eusebius voce, atq; minis titubantia corda
Firmassent, iuuenem Eugenium, lethoq; dedissent;
Eugenium primæ lætantem flore iuuentæ.
Vt vidit densum furibundus Curtius agmen,
Barbantem aggressus turbat: tamen ille iacentem
Expoliare cupit; telo hic supereminet alto:
Exilijt trepidus Barbas, prædamq; reliquit.
Ocyor insequitur violento Curtius Euro
Mille orbes repetens, & telis mille petitus.
Nec cessat, donec sæuus per tergora mucro
Hosti transadigat profuso sanguine pectus.
Natorum veluti raptorem Hircana suorum
Persequitur volucri Tigris rapidissima cursu,
Dum fugit, & leuibus prætervolat auia plantis;
Ast illa euadit syluarum claustra; nec vllæ
Obsistunt valles; altive cacumina montis
Aspera, nec tumidis elati fluctibus amnes;
Dentibus infrendens velocior alite tandem

Captum hostem laniatq; ferox, natosq; reportat.
Tunc omnes ineunt duri certamina Martis.
Montanus lata spirans immane securi
Inuadit medio Torquatum clara cientem
Prælia: at ille ferum manet imperterritus hostem,
Exploratq; humeros, aduersisq; ingruit armis.
Vt quatit inflexa Libycus leo tergora cauda,
Et valido ingentes sibi verbere suscitat iras
Prospiciens Taurum pugnæ prædura parantem
Cornua, & æquoreo spargentem litore arenam:
Irrupit socijs fidens Montanus, & altè
Threiciam tollit ferro candente securim.
Sed clauam incumbens Torquatus corpore toto
Intulerat; pondus sic pondere depulit: illo
Conflictu luxere faces. Fortuna cadenti
Montano huncrumuli illustris concessit honorem.
Periuri excussum manibus reuolubile telum
Delphidio caput imminuit, dirumq; Theonam
Inniti iaculo confracto eiure coegit.

Compressa effudit: sed casside claua cerebrum
Montano, elisitq; oculos, malasq; tumentes
Contudit: ipse graui pulsauit corpore terram
Exanimis; sonitum ingentem vasta arma dedere.
At victor pedibus pertractum immane cadauer
Ostentat, dextraq; rotans iaculatur in hostes
Stentoream fundens vocem; qua tota repente
Vrbs tremuit, trepidæq; locum liquere phalanges.
Acrius inde premit nodosæ pondere clauæ.
Hinc concussa sonant repetitis ictibus arma,
Horribiliq; cadens acies sese impete pulsat.
Non secus, atq; super cum prærupti ardua montis
Præcipiti impositam propellit turbine syluam
Excelsa rapidus Boreas egressus ab Arcto.
Illisæ resonant quercus, totusq; tremit mons.
At luctata diu cum fixis ardua rupes
Concidit arboribus: valles sub mole laborant,
Et resonum referunt circum caua saxa fragorem.
Dum feruet Bellona, audentq; in prælia fortes,

Dum

Dum fremitus terrent, & pectora concutit horror
Armorum; ac moesti pallent formidine vultus;
Improuisi adsunt, & tecta opulenta latrones
Diripiunt; Phrygias vestes, pictosq; tapetas,
Insignesq; auro pateras, variosq; domorum
Ornatus media fusi prædantur in vrbe.
Sed casum Diuus reputans, prudensq; futuri
Duxerat è tota selectas gente cohortes;
Vt foret opportunum vrbi, rebusq; paratum
Subsidium. vigil insidias de culmine templi,
Quo nullum in terris aut cultu, aut nomine maius,
Detexit. Confestim illæ, quò signa vocabant
Discurrunt; præda implicitos, spoliisq; trucidant;
Et primæ ingentem victrices cædis aceruum
Constituunt. Magnos tulit hæc noua gloria fructus;
Immensumq; decus seruatæ reddidit vrbi.
Defuit hæc Græcis prudentia ciuibus olim
Egressis; Vrbs direpta, & spoliata remansit.
Intendit Fortuna suas tunc inuida fraudes;

Con-

Consilio sed victa fuit, cessitq; coacta
Virtuti, & vultu rediijt mutata sereno.
Interea Insubrum motus fera mente repandens
Iustina ardentes ægro irrequieta fouebat
Corde faces. Ecce in somnis cùm nocte iaceret,
Cæsaris est ingens conspecta astantis imago;
Cuius erant sacro insignes diademate cani,
Augustaq; manu sceptrum, rutilansq; nitebat
Purpura. Tum, nostras, inquit, fidisima leges
Tu spernis? Sublata tuo de pectore cessit
Relligio? O' nostri, & natorum oblita tuorum,
Cur mea sceptra tenes? Cur nostrum indigna cubile
Ascendis? Cur me peracerbo funere mersum
E' gelido gaudes non posse exire sepulcro?
Non coniux, non Cæsar eram, non dignus amari,
Vel metui? sæua oppugnas quos ipse probaui;
Ambrosium insequeris; quæ causa? vt regnet in alma
Hesperia, & Latios rapiat gens barbara fasces?
O' mihi consumptos frustra, captosq; labores.
Arrius

Arrius imperium Romanæ possidet aulæ;
Cæsareumq; decus perijt: procul extera nati
Regna tenent superi; roburq; animosq; viriles
His dent. Ambrosius vincat; mundumq; labantem
Erigat. Intremuit dictis perculsa mariti
Quamquam animo Regina ferox, faciemq; dubili
Impressam tenuit; donec vox faucibus hærens,
Redditaq; in thalamum famulos, seruasq; cieret.
Hæ pauidam circumfusæ solantur, & ægra
Membra fouent: finem sed fata extrema parabant;

Sanguineam interea crudescit pugna per vrbem
Insubrum. celeri Parcæ mortalia truncant
Fila manu. audentes virtus, timidos locus vrget;
Flammantes crebris crescunt congressibus iræ.
Curtius Hymerum gladio, piloq; Corallum,
At saxo Cariona ferit, frontemq; latusq;,
Atq; humerum fixi expirant: nec ferreus vmbo
Obstitit; & valido cessit lorica lacerto.

Forte viæ anfractu tellus superaddita callem

Fece-

Fecerat. Insubres; hic dum iaculantur in hostem
Constiterant; subeunt illi, clypeisq; teguntur.
Hi grauiter feriunt, tandem vicina domorum
Maceries vetus effugium cedentibus offert.
Dum valide insistunt telis, hostilia se se
Impediunt membra, & terræ inclinata recumbunt.
Non aliter circum Eridani sinuosa fluenta
Pulsat auis pauidas rigido pede sæua volucres.
Illæ hostem excipiunt fremitu, fugiuntq; per vndas.
Hinc properè obscuro sese sub gurgite condunt.
Vtq; iterum exeruere caput, tunc fortior ales
Incumbens repetit vulnus. mora nulla timentes
Vrget, & exanimem tandem rapit effera prædam.
Instaurant aciem linguaq., manuq. feroces
Symmachus, & Latiæ tempestas maxima terræ
Carpocrates. sic cæde noua certatur vtrinque.
Antoni hic iugulum, Paulli latus ille sarissa
Perforat: at clypei sublatum Hortensius orbem
Protulit; interior ferro circumq; reducto

Abſciſſis liquit rorantia brachia palmis.

Protinus Auſoniæ ſucceſſu læta iuuentus
Incurrit: celebres Mauors hortatur alumnos.
Sors regit æqua manus, & certos dirigit ictus.
Terra cruore madet; conferta cadauera pallent.
Concidit Ammonius iaculo, ſed Aquariuſenſe,
Nauatus volucri transfixus corda ſagitta:
Hunc tulerat Libye, primum Pharos, Ilua ſecundum.
Concidit & Graia Cerdo, qui ex vrbe profectus
Inſubrum ſperarat opes, inhiauerat aurum;
Cotta laboranti telum pulmone recondit.

Hanc cædem ſtrepituſq. virum, fremituſq. cadentum
(Sæua breues nimium dum demetit Atropos annos)
Audijt, & comites horrentibus euocat vmbris
Cherintus. ſubitò cæcas patefacta latebras
Deſerit, approperatq. cohors: quamplurima mentem
Perturbant. trepidat pectus; premit intima ſanguis.
Ipſa tamen feritas ſtimulos currentibus addit,
Atq; repentino fiducia nixa tumultu.

Sed

Sed dolus haud latuit: ſiquidem Tignoſius heros,
Et Fanni fratres aderant; equiteſq. parati
Depreſſa haud longè ſtabant regione ſilentes.
Admittebat equos via lata; in fronte ſuperbum
Nunc põtem inſpicias, prope quem iacet eruta turris,
Ticinoq. fluens totam facilè irrigat vrbem
Lenis aquæ ductus, monimentum nobile clari
Turrigeri; hoc vehitur cunctarum copia rerum.
Suſpenſo taciti curſu, paribuſq. feruntur
Infelix Cherintus equis, & Praxeas; ambo
Perfidia veteri inſignes, cæcique furore.
Erumpunt ſacri Heroes, directaq. tela
Magnanimi in medio trepidantum pectore figunt.
Excuſſi cecidere Duces. hunc primus honorem
Collatinus habet. par gloria parta Camillo eſt.
Talis inauratis olim conflixerat armis
Romulidum Marcellus honos, dum prælia miſcet
Fallaces valido propulſans impete Poenos.
Hic Zeno ingentem quatiens Tignoſius haſtam

Inuehitur: flexis hostes vertuntur habenis,
Vmbrosæq; petunt iterum compendia syluæ.
Et se se occultant dumis, & arundine densa.
Victores sparsos angusta valle secuti
Accensæ memores pugnæ, Diuiq; reuersi
Accelerant iter ad socios, Martemq. cruentum.

Cernere erat mistas acies, vocesq. ruentum
Audire, & gemitus, rabiemq., & vulnera gentis
Tartareæ: siquidem palantes voce cateruas
Armodius minitans firmauerat. Ocyus omnes
Irrumpunt, strictoq, petunt mucrone furentem
Armodium, clauduntq; vias, medioq; coercent.
Ille ferox (quando est fugiendi erepta potestas)
Quis me terret, ait clamans, cui nulla timenda est
Mors? validum, totisq; immisit uiribus ensem.
Hic iuuenem immeritum Fortuna neci obtulit atræ,
Insignem armigerum Zenonis, tela ministrat
Dum domino, excepit perfosso lumine vulnus.
Heu generose Fabi palles. heu cura parentum,
Atque

Atque amor. haud patrio te condidit alma relatum
Roma solo. At gaude, Ambrosij nunc æde quiescis;
Post modò siderei limen pulsabis Olympi.
Consurgunt magni proceres, hastamq. trabalem
Armodio intorquent, mortem qui protinus hausit.
Loricæ medio pectus, collumq., latusq.
Nam fixus terno ad terram prosternitur ictu.
Fronte rigent oculi; toto de corpore manat
Sanguis, & adstrictũ retinet quoque pallidus ensem;
Palpitat, atq; mori renuens se torquet in orbem.
Illisus veluti cùm duro stipite serpens,
Quem sulco inuentũ agricolæ manus horrida pressit,
Semianimis fractos in gyrum contrahit artus;
Et triplicem linguam exertat, caudaq. resultans
In cassum profundit humi lethale venenum,
Et tandem moriens sinuosa volumina versat.
At varios pugnæ casus, licet esset inermis,
Ambrosius spectans diuino flamine ductus
Astantem conscendit equum; qui montibus ortus,
Hespe-

Hesperijs, & dente ferox, & calce timendus
Ora, iubas, & crura niger, sed cætera fuluus,
Spirabat rutilum generosis naribus ignem,
Tum flagrum capit, & confertũ vbi conspicit hostem,
Irruit: hic tollens duplicato verbere dextram
Insonat, & laxas equiti permittit habenas.
Euibrat telum Satyrus, pugnamq; capessit.
Ponè sequens Numitor strictum rotat arduus ensem.
Cælius intento sed vulnera destinat arcu.
At sonipes ruit in medios, grauiterq; cadentes
Comprimit, & quacunque tulit sese impete frendens
Horribili rapit aduersos, morsuq; tremendo
Dilaniat; ferus in clypeos, agmenq; coactum
Fulminat, & rigido stratos pede conterit omnes.
Qualis eques cœlo egrediens radiantibus armis
Emicuit sacri quondam Iordanis in aruis;
Quadrupedemq; oculis flammas, atq; ore vomentem
Impulit, & sæuum numerosis ictibus hostem
Prosternens seruauit opes, & munera templi,

Iudçæ auxilium præstans memorabile genti.
At postquam vis nulla virum iam sustinet, hostes
Contremuere. leui fugit ocyor Arrius aura.
Obstructæ innumeris (tenuit Fortuna sequentes)
Corporibusq;, hastisq; viæ, iactisq; pharetris.
Talis in Ausonijs olim dux inclytus oris
Martius infregit tremebundo dira flagello
Agmina, quæ in cædem infandam, flammasq; ruebãt.
Subsistit, magicisq; Menander sistere verbis
Auersos se posse putat; sed dira precantem,
Iungentemq; manus, & monstra inferna cientem
Consequitur, iugulumq; ferit Serranus: at illi
Vox, animus, foedoq; niger de vulnere sangui
Effluxit. Comites Stygijs è sedibus vmbræ
Eductæ rapidos animam expirantis in igne
Præcipitant. alij sublapsi terga dedere.
Suspexit coelum Ambrosius, iussitq; recept...
Signa dari; & palmas tendens, tibi maxima, dixit,
Seruator laus perpetuos dicatur in annos,
Exaudire preces castas, & vota tuorum

Di-

Dignate, & fessis tandem succurrere rebus.
Non hæc est nostro victoria parta labore;
Tu princeps, tu bellipotens, tibi magne trophæum,
Atque triumphales debentur iure coronæ.
Hic alacres turmas, redeuntiaq; agmina laudat.

Confecta ex animo res est, nunc corpora læti
Curate; & nostris faueat lux crastina votis.
Aequo animo iam viue pater, Tignosius infit;
Sed nondum exhausto tempus patiisse labori.
Nunc opus est hostes valido præcingere nexu;
Ne victi noua bella parent, interq; penates
Submissis se præsidijs tutentur, & vrbi
Insultent, coeantq; iterum maiore periclo.
Tu Curti alterno vigiles ex ordine circum
Constitue: armato cingantur milite portæ.
Tu serua hostiles latebras munimine firmo
Fortis Osi, gratam reddet labor iste quietem.
Nec mora, custodes statuunt, vrbemq; coronant;
Accenduntq; ignes, atq; hostes aggere vallant

QVAR-

QVARTI LIBRI ARGVMENTVM.

DIVVS Ambrosius, in cuius animo multæ, & graues cogitationes versatæ fuerant, diuino numine monitus, vbi primùm illuxit dies, ad debellandos hostes animum adiecit. Vigiles insidiatorem nacti captum ad eum deduxerunt; qui cognitis dolis, & magno vitæ suæ discrimine, summa clementia illum libertatę donauit. Milites paullo post incredibili fortitudine superatis hostium munitionibus, magna cæde facta gloriosam victoriam consecuti sunt. Illos Diuus intentis ad Deum Opt. Maximum precibus mirum in modum adiuuerat. Omnes Mediolanensium ciuium ordines ad Ambrosium gratulandi gratia accesserunt; quos ille bene sperare iussit, & Deum breui finem bello impositurum affirmauit.

Aliud Cæsaris Millesantij I. C. & Can. Scalen. Argumentum.

EXCVBAT Ambrosius de bello plurima voluens,
Tendenti insidias magno discrimine vitæ
Parcit; congreditur, vincit. gratantur amici.

IO. MARCI FANNIANI
DE BELLO ARRIANO.
LIBER QVARTVS.

IAm nox Hesperiũ tenebris obduxerat orbẽ
Indicens fessis consueta silentia terris;
Cùm vigili Ambrosius voluens in pectore curas
Hæc secum; belli causas optare nefandum est:
At patrias leges, & credita templa tueri,
Hoc pietatis opus. Num finem imponere bello
Præstat, & illæsos emittere finibus hostes;
Vt tristes cessent iræ, populiq; ruentis
Vulnera, compositaq; Insubres pace quiescant?
An iubet ipse Deus deuictam exscindere gentem
Funditus; vt iustas det iniquo sanguine poenas;

Nec possint alijs contagia serpere terris
Pessima, & obsessas subitò corrumpere partes?
Euertit siquidem populos, hostiliter vrbes
Diripuit dux Hebræum fortissimus olim
Progeniem inuisam superis euellere iussus;
Vt foret exemplum nobis. tu consule rebus
Omnipotens. perfecta tuo sint omnia nutu.
Atq; hæc per noctem dum Diuus mente reuoluit;
Ecce nouo visa est effulgens lumine lampas
Illustrasse domum. niuea demissus ab astris
Splendebat veste, & noctis dimouerat vmbras
Aliger; ille leuat curas, & pectora mulcet.
O' venerande Pater, quem sacro culmine virtus
Constituit, pietasq; ardens; qui corpore terras
Incolis, at puram tollis super ethera mentem;
Vnde poli meritò sedem tibi regia seruat,
Quid dubitas? iam victor eris, triplicíq; corona
Tempora cingeris; tantum ne cede labori.
En comitem me tutus habes, accingere bello;

Vt partum egregia statuas cum laude trophæum;
Certaquè reddantur sublimi præmia palmæ.

Dixit, & in tenuem paullatim euanuit auram
Miratus, sanctoq; animum commotus amore.
Ambrosius tali cedentem est voce secutus.
Ancipitem medio cur me sermone relinquis
Sedibus æthereis delapsus? quovè repente
Flectis iter? leuibus cur te mihi subtrahis alis?
Cur nitido haud potui mea lumina figere vultu,
Quo coelum rutilans discussa nube serenas?
Quid merui, tanto cùm me digneris honore?
En tua iussa sequor; faueas, & vota secundes
Promissa exsoluens. Thalamo sic fatus aperto
Egreditur, paribus seruantes atria curis
Audijt, & notas procerum crebrescere voces.

Vertice supremo currum cum luce Bootes
Abdiderat; toto cedebant sydera mundo:
Solus erat roseo spectandus Lucifer ortu:
Protinus in templum festinat, & ocyus omnes

Acci-

Acciri iubet heroas. sacra limina feruent.
Panduntur bifores impulso cardine valuæ.
Templum erat antiquũ, atq; ingẽs laquearibus aureis
Clarum, in quo celebres ars vermiculata figuras
Fecerat; at circum insignes altare columnæ
Distinctum varijs ex Indo littore gemmis
Reddebant decus egregium, summumq; tenebant
Impendentem apicem: sed templi parte sinistra
Iudæum clades surgebat aheneus anguis,
Atq; idem medicina mali, signumq; salutis.
At dextra eximium Satyro cultore sacellum.
Ambrosium in media æde refert insignis imago,
Cuius adhuc roseo color est seruatus in ore.
Hic Præsul duplices spectans altaria palmas
Prætendit, dulcesq; Deo lætissimus hymnos
Dixit; & has flexo profudit poplite voces.
O' maris, & terræ, & magni dominator Olympi,
Naturæ almæ parens, qui puro lumine lustras
Omnia; quique eadem mira ratione tueris;

Cu-

Cuius opus velle est; summus, sapiensq́; bonusq́;
Qui regis æthereas mentes, faciliq́; gubernas
Imperio mundum, & solo mortalia nutu,
Humanumq́; genus donis cœlestibus imples,
Te recolo, venerorq́; pius; tua iussa libenter
Exsequor. ex alto faueas, dextraq́; potenti
Aduersas confringe acies, gentemq; nefandam
Squalida vibrato detrude ad Tartara telo.
At tua qui fuerint nobiscum signa secuti,
His acres inspira animos, sanctumque furorem;
Vt cadat Ausonij tandem obrutus Arrius armis.
Orantem æthereá genitor respexit ab arce
Omnipotens. sensere omnes penetrabile numen.
Consurgunt animis, oculosq́; ad sidera tollunt.
Nullæ aderant coelo nubes; Solisq́; sereno
Vertice fulgebat lampas; nimis ignea quamuis
Hosti sanguineum visa est traxisse colorem.
Dum templo exirent precibus, votisq; peractis;
Ecce virum vigiles manibus post terga reuinctis
Ad-

Adducunt; macies, pallorq; infecerat ora;
Atque caua hirsutam fugiebant lumina frontem.
Hic adytum clausas Diui quærebat in ædes,
Pertentans veteres hortorum scandere muros;
Incautum vt ferro peteret sceleratus acuto.
Non tamen excubias obscura nocte fefellit.
Ambrosius captum fari iubet, vnde profectus;
Et quæ causa viæ; cur solus nocte pererret
Tecta aliena; fuga perquirat, an arte latebras.
In Diuum ille oculos tendens, ne parce merenti
Supplicium Euthymio, dixit, iustissime vindex.
Credideram tacito posse ad tua limina gressu
Grassator penetrare dolis: & sæpe (fatebor)
Iustinæ quondam impulsu, donisq; coactus,
Artificiq; manu currum fabricatus inanem,
Vt raptum in Scythicas veherem te perfidus oras,
Perueni. Ipsa tuam coelestia numina cædem
Auertere. domus subito nunc visa moueri
Incursu, rapido correpta vel igne cremari.

Nunc iterum incedens per moesta silentia noctis
Complures iugulo gladios instare trementi
Conspexi: attonitus steteram, cùm lapsus ad imum
Succubui. valido miles mihi brachia nexu
Euinxit. meritum sed tu, precor, exige de me
Supplicium. patiar quidquid meruere nocentes.
Finierat. stupuere omnes, coeloq; salutem
Præsulis acceptam referunt. Ast ipse fluentes
Fundebat lachrymas, veluti cùm sospite nato,
Quem reducem patrios cernit contingere fines,
Irrorat dulci genitor pia pectora fletu;
Dum timor, & dubio afficiunt cor gaudia motu.
Dat veniam fasso, captiuaq; brachia solui
Imperat Ambrosius. tacitò stetit ille dolorem
Corde premens, ancepsq; animi; ceu vana foret mens
Elusa in somnis. tandem pro munere grates
Reddidit, vt potuit: fraudes, atq; impia linquens
Arma dehinc capta securus pace quieuit.
Nec quisquam Euthymium scelerata per agmina vidit,

Inde

Inde miser för tè exilio mulctatus acerbo
Pergratum Diui sæpe est expertus amorem.
Collaudat vigiles, & donis Præsul honestat.
Feruet opus, crescitq; hominum studiosa merendo
Sedulitas, virtusq; capit laudata vigorem.
Ipse Duces, animo quæ stet sententia, paucis
Edocet: æthereo confidite, dixit, Olympo.
Certa dedit mihi signa Deus; radicitus omnem
Tænariam statuit nostris diuellere gentem
Littoribus. Longa fuerit num tutius illam
Obsidione premi? atq; fame confecta necari
Corpora, quò noster vincat sine vulnere miles?
An melius totis adoriri viribus hostem,
Nec vitæ infelix spatium concedere victis?
Prætereunt siquidem lapso cum tempore rerum
Momenta, & tardis incommoda multa repugnant;
Vnde animos hostis collectis viribus auget,
Moliturvé fugam noctu, latitatq; per vmbras.
Omnibus hæc igitur potior sententia visa est.

Non procul est Martis porta locus obsitus altis
Moenibus, at terno circùm sinuosa recessu
Diuiditur dubium reddens via prætereuntem,
Cladibus Insubrum celeberrimus angulus olim
Deterioris ad hæc cognomen tempora seruat.
Hic sese elapsi notis in sedibus hostes
Condiderant, aditumq; fugæ, claustrumq; pararant.
Termopylas fauces, aut furcas dicere posses
Caudinas. Ingens superat tamen omnia virtus.
Protinus armatos tota Tignosius vrbe
Euocat. Hic Veneris portam, Iouis ille reliquit.
Qui Lunæ, qui Saturni tenuere recessus,
Mercurij antiquas sedes, Martisq; receptus,
Conueniunt. dux quisque suos agit ordine coetus.
Ardentes coeunt, hostiq; extrema minantur.
At tectis inimica phalanx inclusa latebat,
Cùm sonus armorum irrumpens trepidantibus aures
Percussit. cecidere animi; membrisq; solutus
Est vigor; & gelido concretus pectore sanguis

Diriguit. Quid enim ſperent? præcordia ferro
Traicere, aut aperire viam per tela neceſſe eſt,
Aut clauſos miſeram traducere carcere vitam.
Vndique ſollicitas dubio ſors turbine mentes
Impellit. Tandem vili tellure iacentes
Aggreſſus Manes verbis furibundus acerbat.
Letheone oculos, & preſſi corda veterno
Immemores vitæ, proiectis turpiter armis
Indecores, inconſulti, formidine capti,
Incluſi cauea mortem expectabitis ægram,
Gens peritura breui, grauibuſq; obnoxia fatis?
Cur reſides iterum raptis non ſurgitis armis?
Cur non ſuppoſitos vallo reſtinguitis ignes?
His dictis commoti animi proſtrata reſumunt
Tela; dolor ſtimulat, timor vrget, præpedit error.
At ſenior, varias qui norat callidus artes,
Infenſus Mani (nam rodit pectora liuor,
Et prauos habitat ſemper diſcordia ſenſus)
Surgens argutam fudit de pectore vocem

Nestorius. Vestri, quæso, miserescite tandem
O' socij, quemnam finem Fortuna dolorum
Concedet? fractæ aduerso certamine vires;
Concidit Armodius. Iuuenum pars maxima letho
Occubuit. Miseros quæ numina dira fatigant?
Quis nescit facta Ambrosij, dextramq; potentem,
Seu carmen, vires seu vis diuina ministret?
Nos illi vt rapidis rursum ludibria ventis
Offerimur? vestram quæ mentem insania turbat?
Vidi ego, districto qui crederet ense petitum
Posse mori, propius sublato impingere ferro
Vulnus; at obriguisse manum, ceu Gorgone visa.
Cur iuuat extremæ tempus præcurrere vitæ?
Ne tantum properate, precor, seruate fideles
Relliquias. facilè obsessos Iustina iuuabit,
Si petimus; facilè auxilium submittet egenis.

His iterum mutati animi, velut æquoris vndæ
Impulsæ horrisonis violenti flatibus Euri
Insurgunt, leni Zephiro spirante residunt.

Exar-

Exarsit Manes; dubitans tum lumina torsit,
An petat aduersum, proprijs an perditus armis
Occumbat; Lachrymas vetuit quin funderet ira.
Attamen est verbis rabiem testatus amatis.
Insani vos lingua senis, timidumq. retentat
Consilium, quà sit vobis fuga? tela propinquant;
Iam petet ærato nutantes ariete muros
Hostis, & Armodij lugetis funera? flete;
Quis vetat? Extremum vobis iam fata minantur
Exitium. Lachrymet potius, cui languida bello
Dextera, Nestorius; qui nostrum vincere quenquam
Posse negat. Miserum rostro sed vultur adunco
Iam pascet. me vita iuuat; sed perdimur omnes.
Proditor hinc exi miles; data desere signa
Imbellis, nostro pete castra infecta cruore.
Ast illi mussare metu. Circumtonat hostis;
Vndique pallida mors ferahbus aduolat alis.
Concrepuere tubæ, totamq; tremoribus vrbem
Implerunt. magno colles clamore resultant,

Vici-

Vicini, pauidæ nidos liquere volucres.
Agnouit fatum Manes. tum fortè trementem
Heluidium aſpiciens furibundo turbine raptum
Prouoluit, rectoq; ferus deturbat ab alto.
Tunc oculis cladem præſens Fortuna futuram
Amouit: rediitq; virum in præcordia virtus.
Stant cuncti inflexis vt toruæ Mænades armis.
Aſt ille vnicuique locum deſignat, & vrget;
Et iam pallenti morituros deuouet Orco.

Quis referat, quã prompti animis, quo robore ſigna
Intulerint ſacri heroes? ſubitura periclum
Quàm properè aſtiterint fulgentibus agmina telis?
Cernere vix licuit ſcalis præcincta repentè
Mœnia. Lethiferis primùm ſummota corona
Miſſilibus. claram denſa obſcurabat arundo
Nube diem: tortæ ſtridebant verbera fundæ.
Beltratæ Ambroſius templum propè virginis (olim
Cognomen dederat victor) diſcrimine tanto
Spectator factorum aderat. Clypeata iuuentus
Niti-

Nititur aduersos audacter scandere muros.
Obsessi longis subeuntes culmina telis
Ardua præpulsant, deuoluuntq; aspera saxa.
Percussi resonant clypei, crebroq; comantes
Tinnitu galeæ; densi ceu grandinis imber
Præcipitet, grauis alterno vel malleus ictu
Vulcani incudem feriat. Labor irritus vrget
Nitentes. Nimio permulti pondere fractis
Labuntur gradibus, turbantq; excussa sequentum
Corpora. Successu vires tardantur inani.

Non deerant Osius socijs, & Curtius ardens,
Addebantq; animos. Tandem subijt ira, furorq;,
Ipsi iterum scalis positis, testudine facta
Præpetibus pennis summi ad fastigia tecti
Euadunt, dextra gladios, clypeosq; sinistra
Gestantes. Non vlla loci, non vlla pericli
Vis tenuit; super incumbens non terruit hostis.
At Manes ducis officium furibundus obibat,
Egregiq; vicem præstabat militis, omnes

Inni-

Inniti, inq; duos magno certamine tela
Conijcere. Allapsam sors parua è turre sagittam
Pertulit: illa genam leuiori vulnere Curti
Perstrinxit; fractam galea Mauortius heros
Extrahit. At tumidum feruentius emicat ira
Pectus, & è toruo scintillant lumine flammæ.
Irruit in medios; veluti cùm montibus altis
Exagitatus aper, quem turba hominumq; canumq;
Vndiq; conclusit: contra venabula præceps
Inuehitur; tonat infrendens, & fulgurat ore,
Discinditq; acres incuruo dente Molossos.
Altius elatum dum tollit Curtius ensem,
Fraxinea intento contorsit pila lacerto
Manes, insidijsq; aptus Maris. Ille reducto
Infestas gladio præcidit protinus hastas.
Hinc Mani (rigidæ nam truncant fila sorores)
Diuidit ancipiti pendentia tempora ferro:
Dum dat terga Maris, desectis vulnere ab imo
Poplitibus. Linquunt fugientem languida crura.

Talis

Talis ab Emathijs vexatus Scæua sagittis
Feruidus incubuit pugnæ, multoq; rubentem
Sanguine resperfit clypeum, galeamq; rigentem.
Nec minor est Osij virtus. par gloria mentem
Accendit; ruit in trepidos, ferit, impetit, instat.
Non galeæ, non scuta ferunt tot vulnera: muris
Præcipitant nunc hos Osius, nunc Curtius illos.
At socij (neq; enim immemores) fastigia tandem
Exuperant, acriq; parant certamine laudem,
Et cuperent primi tentasse pericula casus.
Desertis ducibus pudor omnes corripit ingens.
Exacuuntq; animos aliorum facta feroces.
Subtractum haud aliter Regem Pellæa iuuentus,
Dum subitò obsessam solus prorupit in vrbem,
Indoluit, summoq; simul stimulata pudore
Euicit virtute locum, precibusq; coegit
Tutius, assueto sed non sine milite, pugnam
Conserere, & dubio nunquam se credere Marti.
Hæc totam dum fama volans agitata per vrbem

N Nun-

Nunciat, atq; omnes populos illuſtribus actis
Excitat, ingenti concuſſit turbine mundum
Inuida Tiſiphone; tortoq; armata flagello
Impia crudeles commouit ad arma Tyrannos.

Infelix genus humanum: namq; artibus omnes
Accelerant ſibi fata ſuis: ſed tempore certo
Quiſq; refert dignas patrato crimine pœnas.
Sic Iuſtina graues irritans numinis iras
Imperij, & vitæ finem ſibi iniqua parauit.
Florebant celebres nati, pietate paterna
Inſignes; quibus haud vultu, nec gratior vnquam
Nec virtute fuit princeps: bellator vterque
Magnanimus, prudens, & tutæ pacis amator.
Ecce alter (quid non regnandi dira libido
Pertentat? quid non Fortuna volubilis audet?)
Diſcordem Allobrogum cōponere dum ſtudet vrbem,
Occubuit Ducis inſidijs, manibuſq; ſuorum.
Alter, quà Rhodanus crepitantibus influit vndis,
Infauſtæ perijt prope tecta infida Viennæ.

Audijt, & geminis effudit pallida Roma
Funeribus lacrymas, tremuitq́; exterritus orbis;
Dum cædis miseros autores vindice dextra
Opprimeret fœlix cœlo demissus Iberus.

Casibus his, tanto confixaq; vulnere pectus
Noluit effrenem mater sæuissima vitam
Corrigere, atq; ipsis sese submittere Diuis.
Vrebant animum Diræ, curæq́; sequaces.
Spes aberat; tristes mœror tenuauerat artus:
Horrebat lucem infelix. tamen effera, necdum
Exsaturata odijs, multosq́, infensa per annos
Ambrosio; donec labentia tempora metam
Imposuere malis, atq; irreuocabile fatum.
Venerat in Latium Præsul: gens Sirmia sanctum
Excepit, petijtq́; virum, qui incumbere sacris
Posset. At antiquo Iustina imbuta veneno
Constitui impuros homines, prauosq́; iubebat,
Hoc agitans animo, ne lectus Anemius esset.
Præualuit cura Ambrosij, populiq́; fauentis;
Cùm subitò è medio consurgens fœmina cœtu

Regia ſerua manu prenſam temeraria veſtem
Ambroſij traxit, cœpto deducere credens
Conſilio. ille operam conſtans irriſit inanem,
Et perfecit opus. Sed poſtquam craſtina lucem
Extulit alma dies, inopinam fœmina mortem
Oppetijt, Diuoq; habuit comitante ſepulcrum.
Tam ſubita populi mirantur morte peremptam:
Et ſummi Ambroſio paſſim referuntur honores.
Nec Iuſtina diu ſceptro lætata ſuperbo eſt:
Nam triſtem affecto concepit corpore morbum,
Quo rapta eſt ſubitò ad manes, ſtygiumq; profundum:
Arrius vnà obijt. Gauiſa eſt Itala tellus,
Excuſſitq; iugum, & ſua priſtina iura recepit
Virtute Ambroſij. Sileat longæua vetuſtas,
Et vatum Herculeos taceant celebrata labores
Carmina. Vincebat Lernam, Nemeæq; Leonem,
Atq; Aprum ingentem, Taurum, fœdasq; volucres
Arrius. indomitæ ſed tandem bellua frontis
Concidit Ambroſij ductu: concuſſerat horror.
Impulſos igitur iam captis arcibus hoſtes:

Et

Et Mediolani feruebant omnia bello:
Cùm profligati ſeſe per opaca domorum,
Et latebras rurſus condunt; animiſq; refectis
Emittunt celeres furtiuo Marte ſagittas.
Hinc furit Oldanus, qui ferro exſcindere moles,
Vel fumo, flammavé ferox crepitante minatur.
Illi extrema vident, gelidamq; in limine mortem.
Ergo iterum fractis munimina partibus obdunt,
Effunduntq; picem liquidam, explodun tq; locata
Tormenta; & calidæ è muris vexantur arenæ.

Tum verò impatiens effræni concitus ira
Porcellus, lato aſſuetus concurrere campo,
Atq; vnà Herculeis pollens Garaualia membris
Immenſo adnixi rumpebant pondere muros.
Ferratum valido ſæpe arietat impete robur.
Ingeminant ictus illi, ſociosq; pericli
Admonitos reuocant; tùm proni corpore toto
Incumbunt. crebro impulſu repetita dehiſcunt;
Et tandem conuulſa graui cecidere ruina

Mœ-

Mœnia. terrifico tonitru ceu contremat æther,
Laxenturvé poli; totusq; immugiat orbis.
At trepidæ resonant vrbis celsa atria; montes
Accipiunt, redduntq; sonum. tenuere fluentes
Addua, & insolitas Ticinus turbidus vndas.
Abruptam tanto sonitu, atq; fragore colonus
Cum bobus in campo linquens, pauefactus aratrum
Conscendit rupem, metuens ne fortè labarent
Concussæ ventis, aut terræ motibus ædes.
Extemplò hostiles cunctis patuere recessus.
Apparent diræ penetralia turpia gentis,
Et specus infandum Caci, faucesq; malignæ.
Nec magis infractas alio certamine vires
Arrius ingemuit, nec tantum sanguinis haustum.
Namq; hic multa virum varijs lacerata iacebant
Corpora vulneribus; sparso spectanda cerebro
His capita; his fractæ contuso pectore costę.
Huic lateri femur auulsum. suspensus inhæret
Ille trabi. sunt qui condenso puluere reptent

Se-

Semineces; alijs tumulum ſuper eruta moles
Impoſuit. Tanto paucos Fortuna periclo
Eripuit, qui ſollicitam euaſere per vrbem
In ſyluas. At ſors miro mortalia verſans
Euentu, tectumq; cado, vinoq; madentem
Neſtorium eluſit: quem cella diuite clauſum,
Inuentumq; trahens Cacadentius aggere ſummo
Fune locat vinctum; celeri quem exercitus omnis
Impeteret ſignum iaculo, leuibusvè ſagittis.
Inde vagus ſtudio colluſtrat ſingula miles,
Et magnam accumulat, quamuis ſine nomine, cædem.
Dorotheum inuenit ſemota in parte latentem,
Fingentemq; mori ſolers Continus: at ille
Aurum offert, dulcemq; rogat pro munere vitam.
Cui Continus, opes habeas, quas fraude paraſti.
Menè amens patriæ ſpoliis diteſcere, dixit,
Poſſe putas? Morere, & Diti tua munera perfer:
Tum pede preſſit, & auerſo caput abſtulit enſe.
Dumq; illi tanto verſantur turbine rerum,

Et quærunt tristis reliquum consumere belli,
Supremum Ambrosius nunquam implorare tonantem
Destiterat; nunquam festinum à Virgine matre
Auxilium petere, & Stygias frenare cateruas.
Ergo successu gaudens venerabile templum
Rursus adit, grates agit, & persoluit honores.

Continuò tota ad Diuum concurritur vrbe
Gratatum. Primi comites, qui sanguine claro
Præstabant: erat his summæ Respublica curæ.
Tum paribus studijs equitum simul astitit ordo,
Et patrum, tum nobilium generosa iuuentus;
Quos omnes placidè affatus, vultuq; sereno,
Hisq; operum partem ascribens, laudumq; suarum
Ambrosius dulci gratos amplexus amore,
Quàm lætor nitidum felici hoc tempore, dixit,
Illuxisse diem; quo nobis claruit ingens,
Et miranda Dei bonitas. Quis crederet vnquam
Tam rapidas, & tam celeri vertigine belli
Extingui potuisse faces, tantumque furorem?

Et

Et velut iniecto detrusum fulmine celsis
Præcipitem subitò cecidisse ex arcibus hostem:
Hoc decus, hæc nostro victoria parta labore,
Vnde licet tutam Latio sperare salutem,
Diuinum eximij proceres testantur amorem.
Huic igitur meritos Regi referamus honores,
(Intenditq; manum cœlo) si qua arma supersunt,
Si nouus immineat terror, circumq; latentes
Insidiæ, atq; nouos cieant fera Tartara motus;
Hic princeps certum nobis dabit æthere ab alto
Subsidium. fraudes oberunt auctoribus ipsis.
Opprimet hostiles animos timor: irrita vestris
Nulla cadent tela è manibus; cursuq; secundo
Virtutem vestram Heroes fortuna sequetur.

Sic fatus maiore virum spe corda repleuit.
Hinc ciues templo, & populum dimisit ouantem.
O' celebris longè ante alias victoria, latam
Quæ exhausit diris Insubrum ciuibus vrbem.
Arri etenim dum res steterant, vesana libido

Cœpit complures, & amor ſceleratus habendi:
Qui cùm hæſere dolis, & mens obduruit, omne
Concepere nefas. Tunc fræna abrupta pudori,
Impia tunc patrios maculauit turba penates;
Cui Diuis inuiſa ferox Iuſtina fauebat.

Vnanimes ergo auxilium, victumq; ferebant
Hoſtibus infenſi patriæ. Poſtquam illa receſſit,
Et tandem proſtratæ acies, arceſq. reuulſæ,
Impulit aſtrictos ſceleris mens conſcia facti,
Atq. timor proprios confeſtim linquere fines,
Palanteſq; ſequi ſocios. ſic tuta remanſit
Vrbs cernens vacuas fugitiuis ciuibus ædes.

Iam ſol igniferos tingebat in æquore currus;
Humentes denſis creſcebant collibus vmbræ;
Cùm miles ſtudio, nimiaq. cupidine cœdis
Ardet adhuc. cecinere tubæ. ſua quæq. ſecuta eſt
Signa cohors. Læto redeuntes excipit ore
Diuus, & ad ſua laudatos tentoria mittit.

Quinti

QVINTI LIBRI
ARGVMENTVM.

ARriani fuga saluti suæ consulentes, collectis exercitus reliquijs, non procul à Varronis oppido montes illos petiuerunt, ad quorum radices Velatum positum est. Diuus benignè acceptis, & auditis incolis in ea montis parte, vbi eius nomini nunc quoq; dicatum templum conspicitur, aditum tandem ad hostes patefecit, summoq. militum ardore vsus permultos interemit. Reliquos verò post euitatum mirabiliter in se à Sabello directum telum vsq; in altissima montium iuga persecutus est.

Aliud Cæsaris Millefantij I. C. & Can. Scalen.
Argumentum.

PER montes fusas Varronis colligit hostis
(Dum populi Cererem dant Diuo, & munera Bacchi)
Relliquias; quarum pars cæsa parte fugatur.

IO. MARCI FANNIANI
DE BELLO ARRIANO.
LIBER QVINTVS.

AT dispersa manus, raptæq; è funere gentis
Relliquiæ densos tandem petiere recessus.
Per rigidos saltus, atq; aspera vepribus antra
Errarant, longum perpessæ nocte laborem.
Vt fera, quæ manibus venantum lapsa per altum
It nemus, & timidas fugiendo ventilat aures;
Dumq. omnes auræ metuit commota susurros,
Nunquam lustra die repetit; sed longius errat
Cuncta timens, demum obscura sub nocte subintrat.

Postera purpureo lucem pulcherrima curru
Aurora extulerat: gaudentes vndique turbæ
Concurrunt; Diuum vnanimes, pronæq; salutant.
Præcin-

Præcingunt lauro postes, & floribus ornant,
Nec benefacta silent. plausu conuexa canoro
Et domus, & varijs vocum concentibus aer
Personat. Ille Ducum medio, sacrisq. moratus
Porticibus belli finem, finemq. laborum
Prospectans aperit quæcunq. gerenda supersint
Prudenter. Celeres concors sententia turmas
Ire, leuiq. iubet vestigia carpere cursu
Palantum. si fors subitis circumdare castris
Defessos daret, extremæ aut succumbere pugnæ
Cogeret, & meritas scelerum persoluere pœnas.
Postquam cura data est, & copia suppetit, acres
Extemplò Continus equos sibi deligit omni
Ex numero longum assuetos tolerare laborem,
Atq. agitare leues apto certamine cursus.
His ille armatos iaculis, arcusq; tenentes
Imponit. Pedites equitum considere tergo
Imperat; vt crebris agiles discursibus hostem
Distineant. Ipse adducto contentus Ibero

Læua habilem parmam retinens moderatur habenas
Cornipedis, galeam, & thoraca indutus ahenum.
Stat lateri mucro. vibrantur ſpicula dextra.
It comes, & varij perferre incommoda Martis
Orombellus auet. capta Cadelentius haſta
Inſequitur. Structæ curſum arripuere cohortes,
At fugitiua phalanx nullam turbata quietem
Admittens, pectuſq. nouo perculſa tremore
Difficiles ſyluarum aditus, & cæca relinquens
Perfugia in ſummas iamdudum euaſerat Alpes.
Flumen ab Arctoo deſcendit colle, rigatq.
Inſubrum vario campos, & prata meatu,
Lenis, & in gyrum refluens Mæandrius amnis.
Qui quoque nunc retinet foecundæ nomen Olonæ.
Populus, atque ſalix, & quercus littora obumbrant
Apta fugæ. huc tenuit ſinuoſo vertice curſum
Hoſtis, & occulto lapſus ſe tramite texit
Euitans collem; quo Seprij nobile caſtrum
Tunc erat, & veterum ſoboles poſt multa locauit
Oppida,

Oppida; quæ grauibus partim vastata ruinis
Nunc videas; partim instaurata resurgere sumptu
Anguigerum; quorum celebri cognomine proles:
Namq. vicem comitum summa virtute gerentes
Splendida magnanimis decorarunt nomina factis.
Hàc fugiens, linquensq. forum Varronis adhæsit
Alpibus. his longo succedunt ordine montes.
Heluetij, Rhetiq. tenent, quorum inclyta bello
Fama viget. populos inuitant munera Regum.

Consedit defessum agmen, puroq. fluentem
Riuum fonte bibit. durum gens nacta cubile
Frondibus arboreis cautes contexit acutas.
Inualidis deerant prouisa viatica: tantùm
Castaneasq., nuces, & poma rubentia carpunt,
Quæ natura loci dederat. quo munere vires
Instaurant. Tum fortè greges sub rupibus altis
Balatum ediderant. auidi rapuere; nec vlli
Pastores prohibent. verubus sic fixa colurnis
Paullatim accensæ torrebant viscera flammæ.

At

At præmiſſi equites cauto vicina recurſu
Explorare loca, atq. omnes luſtrare latebras.
Inde ipſo impreſſos ſpeculati limite greſſus,
Cernenteſq. nouis tenuiſſe reflexibns hoſtem
Ambiguum prope flumen iter, monteſq. petiſſe,
Exarſere animis: veluti cùm retia tendit
Venator, cernitq. incluſum euadere ſummo
Colle lupum; ferit attonitam furor, iraq. mentem,
Conſumptuſq. labor. Subitò calcaria ductor
Subdit equo laxans faciles Continus habenas.
Sed primùm Ambroſio curat perſpecta referri,
Quò tendat, quò ſe ſe acies inimica receptet,
Vtq. fugam nocte imbellis contexerit atra.
Hinc turmæ properant; pedites ſcrutantur Olonæ
Littora; vbi obſcuro denſantur ceſpite frondes,
Confertum multa vel ſtagnat arundine flumen.
Sic vrgent capræ celeris veſtigia fidæ
Nota canes, curſuq. leuem ſectantur anhelo.
Iamq. iter emenſi longum ſub collibus altis
Conden-

Condensum aspiciunt nigranti turbine fumum
Prouolui; se se retinent, & Martia firmant
Tuto castra loco, nec dextris tela reponunt.
Interea ornatus varijs exercitus armis
Constitit. Attolli Diuus celestia signa
Iussit. Equum niueo ducunt candore nitentem
Heroes, placidisq; iubas, atq; ardua colla
Contrectant manibus. Scandentem poplite flexo
Ambrosium excepit sonipes, nutuq; regentis
Mouit iter; circum gaudens Mauortia pubes
Funditur. Imposita catafracti casside fulgent,
Et cingunt medios pedites coeuntibus alis.
Postremus tuto Tignosius ordine mansit.
Egressis populus reditumq;, & fausta precatur
Numina sollicitis repetens altaria votis.
Obuius huic miles sublapsum finibus agmen
Nunciat, & totis Continum insistere habenis;
Atque viæ noto compendia limite monstrat.
Incubuere omnes. Celeri sub velite feruet

Semita; non equiti peditem concedere cernas.
Non labor, aut sitis, aut vllum grauiora retardant
Arma viget virtus, accenditq. insitus ardor.
Iamq. volant: qualis validè spirantibus Euris
Acta per æquoreos adiuncto remige fluctus
Classis iter secat, & tumidis ad littora velis
Fertur. In occiduum decliues flexerat orbem
Phœbus equos, currum Oceani loturus in vndis:
Cùm sonitum sensit, fremitumq. audiuit equorum
Continus. Diuo gaudens occurrit, & imæ
Valle locum castris, & largo fonte fluentes
Monstrat aquas. Laudat curam, promptumq. laborem
Ambrosius; cùm iam reparandæ visa quietis
Hora. Duces igitur tentoria milite complent,
Atque suis promunt allata cibaria turmis,
Securamq. iubent tacitè deducere noctem;
Hinc Diuum media castrorum parte locarunt.
Disponunt vigiles, partitaq. tempora somni
Assignant; adduntq. notas, & reddere voces
Præcipiunt,

Præcipiunt, variantq. vices, atque omnia circùm
Explorant: ne fortè animos si colligat hostis
Impetu nocturno valeat confundere castra;
Aggeribus quamuis, & latæ indagine fossæ
Tuta forent. Primos cantus iam peruigil ales
Ediderat: cœlo visus cessisse Bootes;
Concilium vocat Ambrosius. Mutantur in orbem
Excubiæ. venere Duces; tunc ipse profatur.
Magnanimi proceres, quorum mihi cognita virtus
Auxilium vario semper discrimine rerum
Attulit, en longo finem breuis hora labori
Imponet. Manibus sperans euadere vestris
Arrius excelso consedit culmine montis.
Non locus immutat sortem, sed fortia facta.
At neque Peliacæ rupes, nec magnus Olympus
Inuisos seruet superis. stat pœna nocenti
Cuique sua; vltricesq. sequuntur crimina Diræ.
Nunc munita loci ne quod natura periclum
Inferat, exploranda via est; qui monte recessus

Quæ syluæ impediant; qua possint parte parari
Insidiæ; ascensus quo tramite tutus ad Alpes.
Ni potior vestram mutet sententia mentem.
Assensere omnes. multi se offerre per alta
Ire iuga, excesis & quærere rupibus antra.
Præuius Eoo radiabat Lucifer ortu
Venturum affirmans Solem: tum proxima castris
Oppida Varronis sedes fœcunda, vetusq.
Velatum, & duplici constructum vertice Biumum,
Antiqua virtute viros non pauca ferentes
Munera miserunt. queis postquam copia fandi
Est data, sic senior. Tu nostri gloria secli
Et pater, & pastor salue. Te finibus istis
Percupidi aspicimus: tibi nos, atq. omnia nostra,
Offerimus; fortemq. operam, studiumq. dicamus.
i iubeas, quamcunq. queat describere gentem
Hæc regio, auxilio dabimus; vitæq; periclis
Assueti obsessas subitò superabimus Alpes.
Non erimus bello indecores. Nos retibus apros
Cingere,

Cingere, nos vrsos soliti configere telis.
Hæc nunc (parua licet) ne spernas dona, precamur.
Montanam attulimus Cererem, dulcemq. Lyæum,
Nec non cum vitulis tauros, pinguemq. ferinam.
Accipe cum donis animos. Ascribe tuorum
Nos numero. Non te nostri meminisse pigebit.
Hæc vbi dicta: iubet genibus consurgere flexos
Omnes Ambrosius, verbisq. affatur amicis.
Vestra fides nobis gratissima, vestra voluntas,
Officiumq́., viri. Nostræ coniuncta saluti
Vestra erit. Audendum. Iustos Deus ipse secundet
Conatus, addatq. animos, & dirigat arma.
Accipimus noto fidos qui tramite ducant
Agmina nostra duces: vt summi per iuga montis
Haud dubium penetremus iter; totamq. subactis
Felici auxilio purgemus ab hostibus oram.
Tunc nos & spolia, & dona hæc allata iuuabit
Partiri, & dignas vobis persoluere grates.
Interea fessos hostis recreauerat artus,

Cùm

Nos validis animis, & toto corpore bellum
Instauremus, & instructi in media arma ruamus.
Reddidit his dictis animos. Hinc stringere tela,
Tendere lethiferos arcus, ingentia saxa
Moliri, arboribusq; graues abscindere ramos.
Hic studio, atq. opera comitum, ducibusq. peritis
Monticolis tandem per clausum semita callem
Inuenta est. Sentes, arbustaq. dura premebant
Vndiq.; & innumeris rupes incommoda saxis.
Effectum tamen, vt ternos comprendere posset
Iam via. At ipse animum celerem per singula versat
Ambrosius, tuto felix quo milite vincat.
Hæc demum intentæ melior sententia menti
Occurrit. Qua parte iacet sub montibus ipsis
Velatum, angusto fastigia summa petebant
Limite pastores; tacito hàc ascendere fidi
Tercentum Oldano pedites sub principe iussi.
Scilicet, vt subito furibundus ab impete Mauors
Ancipiti dubium certamine redderet hostem.

Parte

Parte alia incursus primos, primumq. laborem
Optabat sibi quisque Ducum. sed Curtius acer
Exorat tandem; memori pro viribus à me
Gratia sancte Pater tibi non reddetur inanis.
Namque tuum viridi præcinctus tempora fronde
Et currum sequar, & victricia signa superstes.
  Sic fatus gladium strinxit, clypeoq. sinistram
Implicuit Martem irritans. sed nulla dederunt
Classica pulsa sonum. Tacitos conscendere iussit
Ambrosius; donec medio sub monte teneret
Tota sinum legio; quò telum intendere posset
Miles, & illato propius pede claustra tueri
Aduersa. Ergo animis cuncti spirantibus iras
Procedunt. Pictum se se miratur ab alto
Nobilium manibus tolli Iouis armiger ales.
Ipse ostro insignis Præsul, sacroq. galero
Armatos inter pedites fortissimus ibat
Vectus equo, qui fræna ferox argentea mandit
Aure micans, gradibusq. alternans crura subactis
Ore

Ore fremit, ſolum forti conſidere tergo
Ambroſium patiens, & nutu aſſuetus herili.
Iam collem attigerant, quo Diui nobile templum
Nunc colitur; multasq. domos noua condidit ætas.
Barbaricæ hic primùm effigies, lacerataq. ſigna
Viſa. tubæ ſonitu tandem ſtrepuere canoro.
Nec minus horribiles dederunt hoſtilia bombos
Cornua. commiſtus ſciſſum ferit æthera clamor.
Ingemuere altæ rupes. Concurritur. alto
Tela cadunt. Primus ſacro ceu concitus æſtro
Irruit, & ſtygio maculauit ſanguine dextram
Curtius; aduerſis huic Arrius imminet haſtis.
At comites fidi auratis Hortenſius armis,
Cum Parthisq. iterum cupiens confligere Craſſus,
Et Cicero haud lingua melior, quàm fortibus auſis
Auxilio ſubeunt, totamq. vmbone phalangem
Propellunt: illi vires natura miniſtrat
Dura loci. incumbens premit obuia corpora pondus.
Audijt, & properi cur non erumpimus, inquit

Oldanus; differre nefas, quæ absoluere possis.
Nunc vrgent mandata Duci succurrite vestro;
Nunc opus est animis. Illi super ardua dicto
Ocyus euadunt, magnoq. ardore feruntur.
Nec multum commota acies aduersa, reflexit
Sed latus, & tota nitentes mole repressit.
Contectus clypeo exuperat, serpitq. per altum
Iam spatio interior, paribusq. Oldanus in armis
Constitit. vnanimes socios premit æmula virtus.
Connixi ascendunt. nec iam certare sagittis
Longius, aut tereti glandem dispergere funda
Aspicias. propius geritur res; atq. virum vir
Impetit effuso picta arma cruore rigantur.
Non aliter quàm sanguinei cùm prælia miscent
Dentibus hinc aper exertis, hinc vrsus aduncis
Vnguibus: incurrunt fremitu, duraq. repellunt
Vulnera prima cute. At postquam vim suscitat ira,
Scintillantq. oculi, tunc ictus pectore lato
Altius apparent; atri fluit vnda cruoris

Intor-

Intorquet rigidam dum Celſus deſuper haſtam,
Cotta ſubit, iaculo prior occupat: illud adactum
Vtraq. confixit peracuto brachia ferro.
Cernere erat duplici attonitum conſiſtere telo,
Et fruſtra imbelles Celſum intentare lacertos.

Sed quis te tacitum linquat memorande Palati,
Qui syluam fixo telorum vmbone ferebas?
Ille oneri preſſas tanto ſuccumbere vires
Senſerat; infremuit, clypeumq. effudit in hoſtem,
Quantus erat, gladium geminis manibusq. retorſit
In gyrum. Tamquam de cœlo protinus icti
Sex cecidere viri. totidem dant vulnera mortes.
Demophilo intentat rigidam dum feruidus Harpen
Vaironus, fugit ille leuis, circumq. recurſat
Arboris antiquæ truncum; qua parte ſequentis
Imminet alta manus, propero pede pallidus illhinc
Diffugit, atq. iterum repetitum circuit orbem.
Eluſo inſurgunt iræ. quid fata moraris?
An ſpatium miſeræ, dixit, producere vitæ

 Speraſti,

Sperasti, & serò socios inuisere manes?
Haud fugies. Magno hæc fatus ferrum impete adegit.
Corruit abscissi corpus cum pondere trunci:
(Res miranda) patent diuisis dentibus ora.
Non ictum auertit cortex; non profuit arbos;
Non validum capiti tegmen fuit ærea cassis.

At Diuo quamquam auxilium præstaret Olympo
Aligerum demissa cohors haud lumine visa
Mortali; tamen ipse aderat, dominoq. ferebat
Collatinus opem, scuto dum iacta repellit
Spicula, transuersas gladio vel demetit hastas.
Ille velut media seruans vestigia sylua
Fidus heri custos canis, obuia tela latronum
Impauido subit ore fremens, saltuq. feroci
Propugnat; domini opposito dum corpore pectus
Contegit, extremisq. inuadit viribus hostem.
Non aberant gemini fratres. pia cura parentis
Vrget, & ingenitum virtus inflammat amorem.

Hic, vbi celsa tenent, & obumbrant agmina telis
Diræ

Diræ acies, summo stillans è vertice riuus
Lubricum iter, simul & viridem madefecerat herbam.
Strenuus aduersos dum pellit Curtius, ecce
Saxum ingens, immane alta de rupe volutum
Concidit. Hoc galeã, atq. humerum perstrinxit. at heros
Collapsus dum se pede colligit, humida rursum
Haud potuit molli vestigia sistere terra.
Tunc pudor, atq. animi vis concalefacta cadentem
Erigit. Accurrens frustrà descenderat hostis
Extincti credens spolijs gaudere relatis.
Emicat hic, propiusq. ferit, cunctosq. lacessit:
Non secus in medio quàm cùm fera bellua campo
Conclusus populis coëuntibus vndiq. taurus
Cornua in oppositos furibundus dirigit. Illi
Profugiunt celeres, longis rigidosq. sagittis
Infestant armos procul, & clamore minaci
Insultant. Hic infrænes exususcitat iras,
Atq. effert se se saltu; iam iamq. theatro
Vim facit; & cunctos prosternens vulnera mille
Infligit,

Infligit, latis miseros pedibusq. cadentes
Proterit. Haud aliter discurrit Fannius heros
Sanguineum vibrans in morem fulminis ensem.
Membra cadunt diuisa toris, cum casside truncum
Hic caput, hic cæsis informia brachia palmis.
Ozinus hinc lectos compellat voce sodales;
Arcta via est. ineunt Fanni certamina fratres:
Nos erimus segnes, nec erit commune periculum?
Conclusos aditus & pugnæ, & laudis habentes
Stabimus? haud patiar. dextrum densissima sepit
Sylua latus. quid si subitos accendimus ignes,
Atq. nouum molimur iter? vix fatus, inhæsit
Flamma iugo. tantum est animis præsentibus vsus.

Hinc Diuo rem totam aperit. Fortè Eurus Eois
Littoribus validè efflarat. Subitò ignibus omne
Cernere erat nemus, & totum splendescere montem.
Effugere feræ, cœlum petiere volantes:
Non vlli vepres, non vlla arbusta supersunt;
Sed maiora vorax vincit fastigia flamma.

Iamq.

Iamq. ardent piceæ, lentis & fraxinus hastis
Apta ardet, patulæ fagi, pinusq. feraces.
Iuniperi virides, & tutæ à fulmine lauri
Nunc vstæ crepitant; volitant super astra fauillæ.
Improuisa videns augeri incendia primùm
Constitit, hinc magna conclamat voce Sabellus.
Heu nos fata premunt. Stygijs præcingimur Arri
Ignibus; vt meritis tecum nos torqueat Orcus
Supplicijs. Me né inuisum prosternere telo
Non potuisse Ducem? pariterq. occumbere letho
Præcipiti, & nigram pariter tranare paludem?
Solus ego in ventos ferar, & crudelis inertes
Eludet fortuna manus, & inutile ferrum?
Sed repetam. hæc dicens lapidosa è rupe nitentem
Purpureo Ambrosium frendens conspexit amictu,
Hortantemq. viros. Tu vulnera dirige, dixit,
Rex Erebi. iaculum diro torsitq. lacerto;
Quod prudens oculos dum voluit, Diuus adactum
Vidit, & inflexis facilè vitauit habenis.

Quia

Quin etiam quadrupes ſtridentes ſenſerat auras
Non ſibi, ſed domino metuens. Hinc præpete penna
Ocyor exſiluit. fugit ſine vulnere telum.
Palluit ad fratrem Satyrus dum lumina torquet.
  Protinus armigeri concordi fœdere fratres
Auctorem petiere doli. leuis ille per alpes
Aërias fugitat, manibusq. attractus aduncis
Scrupea perquirens cæca ſe rupe recondit.
Euolat ante alios, latebroſaq. diſcutit antra
Impatiens Collatinus, ſcropuloq. propinquat.
Capreolum veluti denſo ſub colle latentem,
Subtractumq. fuga maculoſo corpore Pardus
Veſtigat, captatq. auras, syluæque ſonorem
Haurit hians; iam iamq. tenet, morſuq. cruento
Dilaniat: tremuere feræ, tremuere volucres.
Non aliter multo ſudore crepidinis altum
Exſuperans miſerum ingentis ſub fornice ſaxi
Aggreditur; medium gladio tranſuerberat herôs.
Inde iubet fixum procero ſtipite corpus

Suſpendi

Suſpendi prædam alitibus; quæ caſtra ſecutæ
Dilacerant roſtro proiecta cadauera adunco.
Terruit hoc animos, quos iam circumfluus ignis
Atq. atro inuoluens vrgebat turbine fumus.
Laxantur vires, cedit furor ipſe timori.
Ductores nequeunt refouere pauentia corda.
Auerſi tandem, anguſta quà calle viator
Nunc petit excelſam venerandæ Virginis ædem,
Diffugiunt. Celeres addebat vocibus alas,
Ex altaq. viam monſtrabat caute Theognis.
Hàc iter eſt tutum; huc totis incumbite neruis,
Dirigite huc curſum ſocij; nunc promite vires.
Talibus hortantem dictis, trepidosq; monentem
Viderat incuruans fortem Cadelentius arcum:
Conſtitit; & promptam pharetra pendente ſagittam
Impoſuit: teretem traxit cita dextera neruum.
Facti Orombellum mouit decus; atq. parata
Inflexum parili direxit arundine cornu.
Vix fuerant tenues ſtridentia tela per auras

Audita, en gemino confixum vulnere corpus
Decidit. Erumpens oculo, iuguloq; fluebat
Effuſus per ſaxa cruor. Contuſa cadentis
Oſſa ſonum ſcopulis, diſiectaq. membra dederunt.
Sed Tarteſsiaci ſubiturus littoris oram,
Flectebat rapidos verſo temone iugales,
Antipodum radios ſparſurus in æthere Titan.
Præcipit Ambroſius conſiſtere ſigna. Sequendi
Tunc finem fecere Duces, tandemq. quierunt.

SEXTI LIBRI
ARGVMENTVM.

ARRIANI, cùm ad Turrim, quæ nunc quoque in altissimo mõtis fastigio prospicitur, præter spem confugissent, confirmare sese, atq. animos recipere cœperunt. Ambrosius autem exercitus precibus commotus nonnullos emisit leuis armaturæ milites ad locum explorandum; qui complures hostium extra aciem in collibus iacentes nacti, & longo, difficiliq. itinere, laboribus, & vigilijs defatigatos repentè aggressi magnam eorum partem ceciderunt; reliquos autem metu perterritos in Turrim se recipere coegerunt. Tum Diuus in illa summa Alpium asperitate omnium rerum felicem euentum à Deo potius, quàm ab hominibus sperandum esse cognoscens, orto sole rem sacram faciens diuina mysteria celebrauit; sacratissimoq. IESV Christi seruatoris nostri corpore ita pijs manibus elato, vt ab omnibus conspici, atq. adorari posset, Arrianos execratus mirabile, formidandumq. suæ sanctitatis exemplum reliquit. Siquidem Diui imprecationibus Arriani diris, et vltricibus Furijs agitati ita sibi crudeles manus intulerunt; vt ne vnus quidem extremæ cladis nuncius superfuerit. Tam memorabili

potitus victoria Ambrosius Duces suos, & milites donis, & honoribus prosequutus templum celeberrimum non procul ab illis Alpibus in honorem Deiparæ Virginis erexit, & consecrauit: Deductoq. exercitu amplissimum, & iustissimum triumphum cum maximo Mediolanensium, ac finitimorum populorum plausu, summaq. lætitia de superatis hostibus deportauit.

Aliud Cæsaris Millefantij I. C. & Can. Scalen. Argumentum.

Imponit finem bello, Christiq. parenti
Erigit Ambrosius templum Varronis ad Alpes;
Victores cumulat donis, & de hoste triumphat.

IO. MARCI FANNIANI
DE BELLO ARRIANO.
LIBER SEXTVS.

QVi memoranda queat sacrati dicere facta
Principis, & duri transacta pericula Martis,
Virtutemq. virûm, & varios describere casus;
Ille graues Siculæ numeret quoque messis aristas,

Et

Et notet altiſonos Aegæo littore fluctus
Flante Noto. Leuibus tamen hæc tentaſſe lacertis
Pondera (ſi ſpectes animum) non vltima laudis
Pars erit; & noſtros exemplo adducta labores
Haud ſpernes patria, noſtrum attutabere nomen.
Nuncia finitimas alacri compleuerat vrbes
Fama ſono, & circum populos exciuerat omnes,
Victorem Ambroſium referens. Vix gaudia tanta
Inſubres capiunt animis. Diſcurrere matres,
Compellarę viros, natorum inquirere ſortem.
Templorum patuere fores. altaria flammis
Collucent. textæ ſpectantur vbiq. coronæ,
Donaq. fixa tholis. Diui celebrantur honores.
Nec Mediolani tantum, ſed finibus ipſis
Cenomanûm, quosq. ipſe Atheſis, ſpumansq. Timauus
Alluit, Euganeisq. auditum collibus ingens
Nomen, & Ambroſij virtus laudata refulſit.
Quin caput Auſoniæ, domitrix clariſſima mundi
Roma ſuo gaudens genitrix applauſit alumno;

Erexit

Erexit titulos, proprijsq. insignibus auxit;
Et veteres Arri studuit delere latentis
Insidias Italæ conscribens robora gentis.
Nox tacita humenti tenebras subducere curru
Cœperat, & toto rarescere sidera cœlo.
Ambrosius pia dona precum, gratesq. tonanti
Persoluens oculos, palmasq. leuabat Olympo.
Affuit huic iussus Zeno; cui talia fatur.
Vicimus; & nostros virtus diuina labores
Iuuit, & exiguo victoria sanguine parta est.
Sed cuicunque fuit violatum vulnere corpus,
Huic subitò est adhibenda manus, quærenda salubris
Est ratio; medicas Pęon citus aduocet artes.
Seu lenire oleo libeat, veteriq. Lyæo
Vulnera, seu lectas miscere in montibus herbas.
Præstare officium gaudet generosa voluntas.
Sentiat hic miles, cui seruiat. Haud mora paret
Festinans, studiumq. adhibet Tignosius heros.
Et pater ipse pij motus penetralia cordis

Prose-

Proſequitur cunctos inuiſens ore ſereno;
Compellansq́; aptis addit ſacra verba medelis.
Protinus inſurgunt renouatis viribus ægri;
Ceu dictamnus opem, aut lacrymans Panacea tuliſſet.
Acrior inde animos bellandi exſuſcitat ardor.
Nec dolor attenuat vires, aut mitigat iras.
Aduerſum haud aliter, cùm flectitur, arbor Idumes
Erigitur: vel qui grauiter compreſſus in altum
Emicat, atq. auget vires violentior ignis.
Interea trepidis vicinam paſſibus Arcton
Hoſtes per ſaltus, perq. aſpera ſaxa petebant.
Nec ſatis eſt (tantus peruaſerat intima terror)
Supremum aſcendiſſe iugum; ſe rurſus in imam
Præcipitant vallem; reſono quà vertice torrens
Verberat ingentes ſcopulos, alteq́; reſultat
Vnda cadens: Gelida ſpumant aſpergine cautes.
Non tantum Armenio præceps de culmine Nilus,
Nec magis ipſe fremit Phlegethon, dum Tartara pulſat.
Pars firmare gradum, ſummis veſtigia ſaxis
Inſinuare,

Insinuare, manu lapidosam apprendere rupem,
Innitiq. hastis, & tandem se credere ripæ.
Tum nouus ante oculos surgit labor: alter Olympus
Aerio liquidum contingit vertice cœlum.
Languentes animos vrget crudelis Orontes.
Quæ mora, qui languor timidos, quæ corpora tardat
Segnities? iam tuti eritis, conscendite. voces
Obscuras illi reddunt: sed visa moueri
Signa iterum; & torto conspectus stare flagello
Ambrosius: vincunt se se, montemq. capessunt.
Tabidus his toto manabat corpore sudor.
Procumbunt: lassos reficit leuis aura, fouetq.
Rapta quies. Ipso aspectus cùm culmine pastor
Astitit, attraxitq. oculos, & pectora mouit.
Siue ille errantes per deuia fortè capellas
Perquirens, siue infernis emersus ab antris,
Atq. Arri comes, & nigrantis cultor Auerni.
Torua homini facies, confusi fronte capilli,
Hispida barba, lupi consutus pelle galerus,

Dependens

Dependens humeros Taxus tegit, aspera pero
Crura ligat, manibus ferro præfixus agresti
Gestatur baculus montana vulsus ab orno.
 Occurrunt omnes timidi, & quæ tuta requirunt
Sit via, vicino qui sint in monte receptus.
Ille manu in summo constructam vertice montis
Ostentat turrim; exulibus quæ habitata colonis
Eminet; Heluetios spectans, Zonamq. niualem
Tollit adhuc veteri seruata cacumina muro.
Tot spatia annorum manet incorrupta vetustas.
Namq. ferunt à Terrigenis hanc fratribus olim,
Impia dum celso superos detrudere cœlo
Turba parat, summoq. Ossam componit Olympo,
Eductam, qua parte polus vicinior astris
Surgeret, atq. Austri depressum cerneret axem.
Finitimos potius bello impendente putarîm,
Magnanimi instarent cùm fortia Cæsaris arma,
Præsidium extremis vitæ posuisse periclis.
Huc conuersa acies vexilla inimica ferebat.

S Audenti

Audenti ſacrum ſuperârat milite montem
Ambroſius; plenusq. Deo, certusq. futuri
Siſtere conſtituit curſum. Circum ire frequentes
Armati, & tempus ſupremæ expoſcere pugnæ.
At genitor monet euentus ſperare ſecundos;
Aduenisse diem, ſceleri quæ digna rependat
Supplicia: his rapidos animorum temperat æſtus.
Hic rerum ſpecies variarum, & purior aër
Iucundo recreant oculos, & corpora motu.
Ex alto ſiquidem campos, atq. oppida, & vrbes
Cernere erat, variosq. lacus, collesq. virentes.
His arbos fœcunda nitet, Solisq. tepores
Excipit. hic miro conſurgunt ordine vites.
Congeſti læta pendent ſub fronde racemi,
Naturæ decus, humani non parua laboris
Præmia longæuo primùm monſtrata parenti.
Ille bonis auctus ſublimi lumina cœlo
Attollens ſtellarum ortus, obitusq. notauit;
Obſeruansq. vices rerum, cauſasq. latentes

Tempora

Tempora diſtinxit ſpatijs, & menſibus annum.
Hinc cœlum in partes ſecuit, numerosq;, modosq;
Repperit; & totum diuinis artibus orbem
Emenſus vacuum renouata prole repleuit.
Sed iam aduerſa phalans turris ſuprema tenebat
Sæpius Ambroſium ſpectans; & neſcia fati
Riphæo tandem ſtatuebat vertice ſigna.
Vix ſacer arreptis tenuit ſe exercitus armis,
Quin hoſtem peteret. veluti cùm perculit aures
Certantum clamor, circum ſtrepitante flagello,
Effuſo ad metam ſoliti contendere curſu
Quadrupedes vix ſtare loco, vix iuſſa magiſtri
Expectare queunt, pedibusq. repagula pulſant.
Excipit audentes animos, & feruida mulcet
Corda virûm Ambroſius. Melior tranſacta diei eſt
Pars, inquit; ſed manè nouo cum lumine Solis
Ite alacres (permitto libens) & vera referte
Aduerſum cauta ſpeculati indagine caſtrum.
Syluanus monſtrabit iter, qui finibus iſtis

Paſtor agens armenta vadum torrentis, & omnes
Cognouit ſalebras, & fido calle reducet.
Carpite nunc gratam, nox imminet atra, quietem.
His parent; quamquam vigiles premit anxius ardor.
Vix iubar Oceani ſurgens commouerat vndas;
Delegit iuuenes Zeno, quos viuida virtus,
Et præſtans agili commendat pectore robur.
Dux fuit ex Italis Vmber. Stant pellibus omnes
Accincti: aſt arcus pendent, habilesq. pharetræ
Ex humeris; ſæuos aliqui geſſere dolones.
Difficilem rapuere viam. Fortè hoſtis apricis
Collibus ad Solem feſſos extenderat artus;
Cùm procul ex ima ſurgentem valle cateruam
Paſtorum, gelidam ſed nulla armenta per Alpem
Demophilus videt. Hic anceps, ſemperq. timendo
Triſtior inſurgit, diſperſaq. colligit arma.
Heu, dixit, quid nos iterum fortuna retentas?
Nulla né erit profugis ſedes? Non mœnia laſſos
Vlla tegent? Ipſaq. Ædoni Aquilonis in arce
Impia

Impia fata prement miseros? Iam nulla quies est?
State viri, ne vos segnes dolus occupet. Illi
Tardius euellunt montano cespite membra.
Vmber adest; propiusq. silens pede se citus apto
Insinuat, carpitq. viam, quà Turre propinqua
Secludat dubios. Hinc irruit impete magno
Tota cohors, varijsq. audax assultibus vrget,
Palantesq. agitat circùm, versatq. labantes.
Ceu maris Hadriaci Fulicas per lata vagantes
Littora perspicias sterili se credere campo,
Et fuscas Phœbi ad radios extendere pennas;
Quas tamen edocuit senium vitare perîcla.
Hæ studio curant turmas, atq. omnia fixis
Explorant oculis, nec se simul agmine miscent.
Ergo vbi conspexere procul capita arcitenentum,
Et fictas pelles, simulataq. membra ferarum,
Agnouere dolos; dant signum. Conditur alto
Turba mari, tremulisq. premit elangoribus vndas.
Insiliunt illi celeres, timidasq. sequuntur,

Nunc

Nunc se exertantes pelagò, nunc ima petentes;
Intendunt neruos dextris, detectaq. promunt
Spicula; tum repetunt cursus, figuntq. natantes.
Non aliter miseros feriunt, versantq., premuntq.
Hesperij iuuenes iaculis, cursuq;, manuq;.

Ast vbi ter montem, fœdataq. sanguine Tesqua,
Et structam rigidis lustrârunt cautibus arcem
Humani auxilij, & victus melioris egentem,
Conuersi redeunt; & visa, & facta recensent
Ambrosio, rursumq. animo maiora relatis
Concipiunt. Adeò præstans super ardua virtus
Nititur, & summis vires conatibus auget.

Sed tandem humano finem positura labori
Instabat funesta dies; iustumq. nefando
Supplicium sceleri letho incumbente parabat.
Nox erat. Ambrosium dulcis sopor irrigat; illi
Non animum turbant curæ, non dira quietem
Somnia; non cædes, aut belli tristis imago
Sollicitat. purum conscendit in æthera mente
Peruigil,

Peruigil, atq. nouas afflatus percipit artes.
Aduehit hinc lucem roseis Aurora quadrigis:
Surgit, & ornari venerandas imperat aras
Antistes nitido facturus sacra paratu.
Aera sonant: vocem rupes, lapidosaq. reddunt
Culmina; subtremulis nutant funalia flammis.
Aurea crux nitet ante oculos, gemmisq. coruscat.
Aras Diuus adit. Submisso poplite cuncti
Procumbunt proceres. Ille alto lumina cœlo
Suppliciter tollens regales sumit amictus,
Effunditq. preces, humiliq. in corde volutat
Quem referat. Grauibus tum sacra silentia verbis
Rumpit, & æternos immensi Patris honores
Concelebrat; nati vitam, partamq. salutem
Gentibus, & sanctum pro munere laudat amorem.
Finierat iam sacra Pater, cùm versus ad aras
Constitit, atq. manu tenuit venerabile corpus
SERVATORIS, in hos quod iam sacrauerat vsus.
Confestim toto Aligerûm descendit Olympo

Densa

Densa cohors. quamuis astantum lumina nubes
Obstruerent, aciesq. animi diffusa per artus
Diuinam non posset hebes comprendere lucem.
Intendit fixos oculos, atq. intima mentis
Ambrosius, Dominumq. fide monstrante tuetur;
Qui mundum, & solo lucentia sidera nutu
Condidit, & longum iussit procedere tempus;
Lustrauit qui Sole diem, Lunæq. tenebris
Immisit radios, orbemq. coërcuit vndis.
  Te né ego terrarum, cœliq., marisq. potentem,
Quem puro tectum velamine, dixit, adoro,
Te ne Deum tractare manu mortalis, & audax,
Inq. sinum potui demittere pectoris haustum?
O' splendor Patris, ò seruati gloria mundi;
O' sola humanæ spes, & tutela salutis,
Respice nos. Capiant nostræ te vindice finem
Aerumnæ. Extremo hunc populum discrimine serua.
Si Iudæa phalanx regionem patribus olim
Promissam ingrediens passim victricia signa
Intulit,

Intulit, & virtute tua tot regna, tot vrbes
Euertit; velut Oceani erumpentibus vndis
Omnia terrifico fluctu discussa labarent.
Innumeros Gedeon paucis comitantibus hostes
Strauit, & Assyrio maduerunt sanguine campi,
Sennacherib steriles solo fugiente per oras.
Nos tua progenies. Quos vitæ æterna beatæ
Dona manent, patiere malis succumbere victos?
Atq. inimica tibi meritas gens impia pœnas
Non dabit? Et iusto se subtrahet illa furori?
Durabitq. nefas? Nunquam vicisse iuuabit?
Et puro tenebras offundent Tartara cœlo?
Non ego sublimes titulos, propiamq. paciscor
His precibus laudem. Soli tibi maxime Regum
Gloria; perpetuo vnde sonant tua nomina cantu
Innumeræ Sanctorum acies. Mortalibus ipsis
Quis debetur honos? Fortis tua dextra triumphum
Optatum referat. Faueas dominator, & Arri
Sterne solo inuisam stirpem: retinere sub armis,

At seruare tuam liceat sine vulnere gentem.
Dixit: & attollens manibus sacra mystica iunctis
Ter perturbatum se se conuertit in hostem.
Protulit & diris horrentia carmina verbis.
Intonuit læua cœlum; exarsere micantes
Scintillæ; fulsit metuendum crine rubenti
Sidus. At ingenti primùm rapere arma tumultu,
Reddere inhumanos fremitus, intendere tela
Arrius. Hinc ardens paullatim incanduit ira,
Concreuitq. furor; rabie tum corda tumescunt.
Inuadit se se furibundum protinus agmen,
Vertens crudeles in mutua vulnera dextras.
Huic ferit hasta latus; diuisa huic tempora ferro
Sustinet ægra manus. Ceruix radicitus illi
Scinditur: ast alij diuiso poplite truncum
Stat femur. At multis spirantia viscera pendent.
Figitur hic conto; ferit illum saxea moles.
At quos auxilium tanto præstare furori
Par fuit, hi summa morientum è Turre cateruas
Spectantes

Spectantes subitas animis immanibus iras
Concipiunt; arctò tum vincti corpora nexu
Dant se præcipites simul: hinc per fracta cadentum
Ossa crepant. sed cui inuisam non æqua salutem
Sors tulit, hic proprio confodit pectora cultro.
Exstinctos omnes (dictu mirabile) verso
Vidisses ore ad cœlum, terramq. prementes
Tergo; cordis adhuc duri quò signa notares.
Hoc fuit infandæ excidium memorabile gentis.
Arrius hunc habuit finem. Sic semine quondam
Cadmæo geniti fratres cecidisse feruntur.
Inferni patuere lacus; vastumq. profundum
Immersas hausit pestes. Ardentior Arri
Pœna Ducis. Furiæ flammas auxere nocentes.
Ambrosius voti compos veneranda reponit
Sacra canens Summo præconia grata Tonanti.
Attonitas procerum tenuit sanctissima mentes
Relligio, & tanti concors reuerentia Patris.
Consurgunt, tristes propius speculantur aceruos

Cæſorum. Nequeunt expleri corda tuendo
Informes artus, & diris horrida membra
Vulneribus, toruisq. minantia mortibus ora.
Liuentesq. genas, & tabida labra veneno.
Hic lanianda feris diſperſa cadauera linquunt;
Atq. alios adeunt, ſi ſors noua poſtulet, auſus.
At genitor meritos ducibus decreuit honores
Reddere, nec ſolùm laudes, ſed præmia læta:
Vt gratum agnoſcant omnes, memoremq. laborum.
Succedunt proceres, & ſummo munera plauſu
Accipiunt, animisq. exhauſti incommoda belli
Abſtergent: veniens ſtetit ordine Fannia proles,
Procubuitq. ſui genua amplexata parentis.
Ille iubet nitidam Cererem, partemq. iuuenci,
Et vini latices afferri. Hæc donat habere
Virtutis merito, ſummiq. hoc pignus amoris
Conſtituit genti, longumq. extendit in æuum.
Quæ miti excepit proles lætiſſima vultu
Omnia: queis nec opes Crœſi, Midæué talenta,

Nec Tyrio valeat conferri purpura fuco
Picta, nec Eoo selectæ littore gemmæ.
Ex illo renouatus honos, & dona quotannis;
Quæ prompti egregia capiunt cum laude nepotes:
Venturosq. sacer ritus durabit in annos;
Dum colet Ambrosij nomen, venerandaq. templa
Insubrum populus; dum lucem Phœbus Olympo
Aduehet; atq. polus lucentia sidera pascet.
Et dubitamus adhuc clarum gens Fannia nomen
Augere, & solida partum virtute tueri?
Inde Osium vocat, atq. alios. Nec finibus illis,
Qui bello auxilium tulerat, sine munere quisquam
Discessit. Post hæc rediens bona parta malorum
Exilio, multis diuisit, honoribus auxit;
Ornauitq. sacras spolijs ingentibus ædes.
Quæ postquam genitor tandem pia dona peregit,
Macti animo hæc, dixit, cœlesti numina ab arce
Demittunt. Vestras non vlla obliuia laudes,
Nulla vnquam poterit consumere longa vetustas.

Nunc

Nunc animum ſtudijs certè digniſſima veſtris
Cura ſubit; Sacri ſuper hæc faſtigia montis
Conſpicienda procul Chriſti pia templa parenti
Erigere: vt totum populi celebrata per orbem
Inuiſant, ſummiq. ferant donaria Reges.
Inuitant rebus nos ad benefacta ſecundis
Cœlicolæ. Ergo operi properè accingamur; vt omnis
Laudet poſteritas, & cœptis addat honorem.

Excepere alacres hæc plauſu dicta. repentè
Incubuere omnes ſtudijs. Hi ſaxa volutant,
Hi calcem, cumulosq. parant candentis arenæ.
Arboribus reſonant exciſis vndiq. montes.
Cæditur vda abies, operiq. accommoda quercus;
Vectanturq. graues plauſtris ſtridentibus orni.
Saxoſi hinc altè fodiunt caua viſcera montis.

Ipſe Pater primùm felicia cuncta precatus,
Diffundensq. hauſtos è ſacro fonte liquores,
Fundamenta locat. Tum fabrûm cernitur ingens
Ordo laborantum. Spectando culmine moles

Erigitur

Erigitur. Secto firmantur marmore tecta;
Ne Boreæ labefacta ruant, vel flatibus Euri.
Maiori insurgit constructum altare sacello;
Hoc super eximia simulacrum Virginis arte
Formatum Pater imponit: Redimita corona
Illa micat, blandis & natum amplectitur vlnis.
Exornata viret ramis frondentibus ædes:
Pulchraq. connexis arrident serta corymbis;
Et tremulas referunt funalia cerea flammas.
Vera cano. Ecce viri veniunt, templumq. subintrant
Bisseni numero (cœlestis vexerat aura)
Vestibus induti niueis: pia tempora summus
Aduelabat apex. Hi alterna voce canentes
Spargenti sacrum rorem responsa dedere
Ambrosio: Ille nouum populo mirante fauorem
Continuò gratos Arabum succendit odores,
Conceptasq. humili profudit pectore voces.
  Siderei Regina poli, quæ lumine Solem
Exuperas, decus Aligerûm, concordia mundi,
Alma

Alma Dei genitrix, eadem castissima virgo,
Humani generis reparatrix optima, vitæ
Præsidium, Ditis terror, scelerumq. fugatrix,
Quæ tibi digna feram? Quæ munera grata rependam
Pro meritis? Non hæc illi concessa facultas:
Non opis officium par est tibi reddere nostræ.
En humiles, fateor, tibi Dia ereximus aras;
Annue, da votis animos. Iam tota recurret
Europa; ex omni pendebunt parte tabellæ.
His faueas, te Diua precor, qui vulnera nato
Sacrârunt proprio perfusi sanguine, & hostem
Conserta fudere manu in sacra templa ruentem.
Ni tua succurrat pietas, custodia seruet;
Quis tempestates varias, mundiq. fluenta
Pertransire queat? Tu vinctos crimine soluis,
Dum precibus natum placas, flectisq. tonantem.
Tu rectum inspiras, purumq. accendis amorem
Virtutis, rapidos vitiorum & comprimis æstus.
Tu curas grauibus mortalia corpora morbis

Obruta,

Obruta, mœstitiam pellis, grataмq. reducis
Temperiem, reparas vires, infestaq; Mortis
Frangens tela nouos vitam producis in annos.
O Virgo auxilium nunquam frustrata petentes
Da requiem, & Latio Stygios auerte furores;
Da pacem Ausonijs, placida quæ fronte beatas
Exhilaras mentes; nostros sanctissima Mater
Fœcundo imple animos rore, & cælestibus auris;
Ardentes nostris stimulos conatibus adde.
Vt tua (quantum erit in nobis) exempla secuti
Felici optatam cursu contingere metam
Possimus, semperq. tuos celebremus honores.
Hæc pater ediderat. Templo stipata fremebant
Agmina; ceu Sole exoriente immurmurat Eurus,
Impellitq. comas nemorum, ramosq; fluentes.
Hic noua res oculis hominum mirantibus addit
Virtutis stimulos. Spolijs, clypeoq. decorus
Hostili statuit sublimi in parte trophæum,
Curtius. En voti reus, ò sanctissima, dixit,

V Hæc

Hæc dico dona tibi victo hoste Feretria Virgo.
Continuò insonuit lætis clamoribus ædes.
His actis rerum, & caræ non immemor vrbis
Ambrosius reditum Autumno properante parabat,
Cùm subitò claræ vario cognomine gentes,
Gestorum quas fama proculi, quas inclyta Diui
Gloria, & extructi moles altissima templi
Spectandi cupidas patrijs aduexerat oris,
Adueniunt: Pietas animi, virtusq. vigebat.
Nec solùm Ausoniæ populi, sed & extera pubes,
Heluetij, Allobroges, Taurinaq. culmina Celtæ
Emensi, & mistis Belgarum turba Britannis.
Plurimi ab Hesperijs, quibus imminet arduus Atlas,
Finibus Eois multi, quos spectat Olympus,
Confluxere. Nouo montis fastigia motu
Celsa tremunt. Feruet populis properantibus ædes.
Ambrosij tacitum pertentant gaudia pectus.
Dum videt ex auro multos appendere torques,
Et caput insigni Diuæ redimire corona

Virginis. Hic gemmæ elucent, hic regia fulget
Purpura. Dat thuris cumulos Panchaïa; Seres
Velleribus ditant aras; ebur India donat.
Continuatus honos per secula multa perennis
Mansit, adhucq. manet; Laureti & proxima famæ
Montani viguit florescens gloria templi.

Iamq. effusæ omnes spatiosa per oppida turbæ
Ambrosium excipiunt venientem. Plausibus æther
Consonat; & vario læti certamine colles
Respondent. Passim serpillo, & olentibus herbis,
Quà transit, strauere vias. Noua præmia veris
Purpurei iuuenes iactant; puericq; senesq;
Ornauere casas, festaq. mapalia fronde.
Præfixæ insurgunt viridanti limine quercus.
Gestire aspiceres volucres, colludere saltu
Armenta in pratis, hilaresq. in rupibus agnos.
Obuia ab vrbe suos deducunt agmina currus
Insubrum. Sed pars in equis præcedere gaudet.
Quos omnes intra teli descendere iactum

Aduentante iuuat Diuo. Saluere benignè
Ille iubet. Genibus cuncti dant oscula sacris.
Inde Ducis celeri cingunt vestigia gressu.

At postquam magnæ veniens apparuit vrbi
Iam propior; gaudens, & nudum tempora vulgus
Prouolat; atq; sui seruat vestigia coniux
Quæque viri, natosq; trahit, paruosq. nepotes
Spectandi studio. Sacrata hinc visa caterua
Sideream præferre Crucem; comitumq. secutus,
Atque senum est primos coetus sortitus honores.
Hic populus duplices veteris prope limina portæ,
Et quantum vrbani census fortuna ferebat,
Victori Ambrosio celsos erexerat arcus,
Resq. notis gestas, & multo inscripserat auro.
Inclyta victrices cingebant stemmata lauri;
Serpebant hederæ virides, lenemq. refulgens
Pulsa leui sonitum reddebat bractea vento.
Aulæa Attalicas referebant texta figuras,
Monstra maris, terræq. feras, cœliq. volucres.

At Diuo apparente ſuum torquebat in undis
Sol currum. Rutili fulſerunt turribus ignes,
Et circum emicuere faces. Incondita laudes
Turba canit; Viue æternum clariſſime Præſul,
Aeternumq. vale fidei iuſtiſſime vindex,
Siſq. memor noſtri. Summo decus omne tonanti
Ille refert. Pompæ fuit ipſo in limine finis.
Securo miles conceſſit membra ſopori,
Et coluit longam ſolata coniuge pacem.

SED quæ longæui fuerint benefacta parentis,
Quàm recto ſtabiles indixerit ordine ritus,
Sitq. vltus ſubitis temeratam cœdibus vrbem;
Prima vbi Chriſticolis ſedes, nomenq. receptum;
Et ſancti arcuerit ſubmotum limine templi
Teudoſium, & iuſta purgare coegerit ira
Patratum ſcelus, & ſubmittere ſceptra tiaræ;
Ablueritq. ſacro Auguſtinum fonte lauacri
Doctorem egregium, pietatis amore calentem;
Chriſtiadum fidei quartam, ſolidamq. columnam;

Hinc

Hinc Tuscum æthereas puerum vt reuocârit ad auras;
Et mira affectis dederit virtute salutem;
Quæ Marcellinæ fuerint pia facta sororis;
Quæ fratris Satyri virtus, moresq; , precesq.,
Qui vitæ finis; tum quæ successerit illi
Posteritas; quantusq. fauor confluxerit orbis;
Qui cœtus hominum, templi quantum ardua moles
Creuerit; vt medijs viridantes ædibus horti
Floribus eniteant, pleniq. salubribus herbis;
Quàm puri fontes, forsan grauibus cothurno,
Concinet Aonijs alius nutritus in antris.
Hæc satis. Incœpto statuatur meta labori,
Fundanturq. preces; Diuusq. in vota vocetur.

SANCTE Pater, gregis Insubrum fidissime Pastor,
Gloria Romulidûm, veteris lux maxima secli,
Hæreseos victor, Stygiæ prostrator Erinnys,
Respice seruatam tot Diue laboribus vrbem.
Ecce tuis humiles cuncti procumbimus aris;
Et nomen memores colimus, fructusq. Sabæos

Offe-

Offerimus templis; atq; annua feſta nouamus.
Da, quæſo, auxilium, fautorq. precantibus adſis;
Ac vitæ præſens, & rebus conſule noſtris.
Infunde Ambroſium rorem, dulciq. liquore
Imbutos refoue ſitibundo in pectore ſenſus;
Multipliciq. animos virtutum ſemine comple.
At mihi, qui tenui plectro tua facta referre
Aggreſſus, tam magno oneri quia viribus impar,
Succubui (ſiquidem rapuit me grata voluntas)
Da facilem veniam; & noſtri ne muneris, oro,
Deſpice pauperiem: ſed læto ſuſcipe vultu
Quidquid id eſt; ſeruaq. tuum Patrone Poetam.

FINIS.